Menander, the poet

Carolus Langer

De servi persona apud Menandrum

Menander, the poet

DE SERVI PERSONA APVD MENANDRVM

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

Carl Rudolf

CAROLVS LANGER

BONNENSIS

PROMOTVS A. D. XIV. KAL. OCT. MCMXIX

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGRAPHI ACADEMICI

MDCCCCXIX

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit Fridericus Marx.

AVGVSTO BRINKMANN

ANTONIO ELTER

FRIDERICO MARX

SACRVM.

Praefatio.

Ex eo tempore, quo in Aegypto multae scaenae fabularum Menandri detectae sunt, viri docti de fragmentis novis quaesiverunt et de arte illustris illius poetae comici et de nova comoedia ipsa nunc melius et certius iudicari posse existimaverunt. Neque tamen, quod permultis ex fabulis Menandri et reliquorum novae comoediae poetarum ne una quidem fabula integra nobis conservata est, haec omnia facile diiudicari possunt, sed primum de rebus et artificiis et personis singulis accurate quaerendum est, quales commentationes iam exstant hae:

P. Hoffmann, De anagnorismo, diss. Vratisl. 1910.

Fr. Schmidt, De supplicum ad aram confugientium partibus scaenicis, diss. Regim. 1911.

Wern. Koch, De personarum comicarum introductione, diss. Vratisl. 1914.

C. Harms, De introitu personarum in Euripidis et novae comoediae fabulis, diss. Gotting. 1914.

Br. Prehn, Quaestiones Plautinae, diss. Vratisl. 1916.

Tum demum, cum de rebus singulis satis disputatum erit, artem Menandri, compositionem fabularum, historiam novae comoediae omnesque quaestiones, quae huc pertinent, melius intellegemus.

Itaque de servi persona apud Menandrum disserere mihi proposui, et quod de servis comicis, quamvis multae commentationes de iis exstent[1]), novis fragmentis repertis nondum hac

1) quarum multae nobis in quaestione nostra usui erant veluti:
Ioann. Frider. Roos, Über den Charakter des Sosia in der Andria des Terenz, Gissae 1784.
G. Chalandon, De servis apud Plautum, Thesis, Lugduni 1875.
O. Kähler, De partibus servorum qui sunt in Aristophanis Equitibus, Vespis, Pace, Vimar. 1877.

quam sequor ratione actum est et quod ex hac ipsa quaestione de servis Menandreis instituta non nihil capi potest fructus ad historiam litterarum cognoscendam.

Editionibus usus sum, quas curaverunt

Menandri Sudhaus, ed. alt. Bonnae 1914 (S^2), Koerte ed. alt. Lipsiae 1912 (K^2).

Fragmentorum Com. Kock (Lipsiae 1880—1888) (K I—III), Kaibel, v. I Berolini 1899, Schroeder (Novae comoediae fragmenta in papyris reperta exceptis Menandreis) Bonnae 1915.

Aristophanis van Leeuwen, Lugd. Bat. 1893—1906, Ranarum Suess, Bonnae 1911.

Plauti Goetz et Schoell, Lipsiae in bibl. Teubner. 1898—1902.

Terentii Tyrrel, Oxonii 1905.

Donati Wessner, Lipsiae 1902—1908.

O. Ribbeck, Alazon, Lips. 1882.

— Kolax. Eine ethologische Studie, Abhandl. d. Kgl. Sächs. Gesellschaft d. Wiss., phil.-hist. Kl. IX 1883.

— Agroikos. Eine ethol. Studie, ib. X 1885.

C. O. Zuretti, Il servo nella comedia greca antica, Rivista di filol. XXXI 1903, p. 46 sqq.

G. Vallat, Quomodo Menandrum quoad praecipuarum personarum mores Terentius transtulerit, Thesis Paris. 1883.

A. Dieterich, Pulcinella. Pompejanische Wandbilder und römische Satyrspiele, Lips. 1887.

A. Giannini, De servis Terentianis in Andria, Syracus. 1894.

Guil. Suess, De personarum antiquae comoediae atticae usu atque origine, diss. Giss. 1906.

Henr. Siess, Über die Charakterzeichnung in den Komödien des Terenz, Wien. Stud. XXVIII p. 229 sqq. et XXIX p. 80 sqq.

Ph. E. Legrand, Daos. Tableau de la comédie grecque pendant la période dite nouvelle (κωμῳδία νέα). Annales de l'Université de Lyon, n. s. II 22, 1910, imprimis p. 133 sqq.: „Les esclaves."

C. Weissmann, De servi currentis persona apud comicos Romanos, diss. Giss. 1911.

E. Schild, Die dramaturgische Rolle des Sklaven bei Plautus und Terenz, diss. Basil. 1917.

Caput 1.

De partibus servi Menandrei ut recte iudicare possimus, primum quaerendum nobis est de historia, ut ita dicam, servorum scaenicorum.

§ 1.

Personam servi antiquissimam esse in ludis popularibus Aristophanis ipsius apparet e versibus nonnullis, apud quem Vesparum in initio legimus (54 sqq.):

Ξανθίας. φέρε νῦν κατείπω τοῖς θεαταῖς τὸν λόγον,
ὀλίγ' ἅττ' ὑπειπὼν πρῶτον αὐτοῖσιν ταδί,
μηδὲν παρ' ἡμῶν προσδοκᾶν λίαν μέγα,
μηδ' αὖ 'γέλωτα Μεγαρόθεν κεκλεμμένον'.
ἡμῖν γὰρ οὐκ ἔστ' οὔτε κάρυ' ἐκ φορμίδος
δούλω διαρριπτοῦντε τοῖς θεωμένοις,
οὔθ' Ἡρακλῆς τὸ δεῖπνον ἐξαπατώμενος,
οὐδ' αὖθις 'ἀσελγανοῦμεν εἰς Εὐριπίδην[1])'
οὐδ' εἰ Κλέων ἀνέλαμψε· τῆς τύχης χάριν,
αὖθις τὸν αὐτὸν ἄνδρα μυττωτεύσομεν.
ἀλλ' ἔστιν ἡμῖν λογίδιον γνώμην ἔχον,
ἡμῶν μὲν αὐτῶν οὐχὶ δεξιώτερον,
κωμῳδίας δὲ φορτικῆς σοφώτερον.

Talis fabula popularis a poeta κωμῳδία φορτική appellatur et φορτικόν idem valere atque Μεγαρικόν ostendit Wilamowitzius[2]). Praeterea afferendi sunt Pacis v. 739 sqq.:

πρῶτον μὲν γὰρ τοὺς ἀντιπάλους μόνος ἀνθρώπων κατέπαυσεν
εἰς τὰ ῥάκια σκώπτοντας ἀεὶ καὶ τοῖς φθειρσὶν πολεμοῦντας,
τούς θ' Ἡρακλέας τοὺς μάττοντας καὶ τοὺς πεινῶντας ἐκείνους
ἐξήλασ' ἀτιμώσας πρῶτος, καὶ τοὺς δούλους παρέλυσε
τοὺς φεύγοντας καὶ ἐξαπατῶντας καὶ τυπτομένους ἐπίτηδες,

1) ἀνασελγαινόμενος Εὐριπίδης codd., Dindorf. ci. ἐνασελγαινόμενος Εὐριπίδης. ita van Leeuwen.

2) Die megarische Komödie, Herm. IX 319 sqq. cf. A. Koerte, Archäologische Studien zur alten Komödie, Jahrb. d. K. Deutsch. arch. Institutes VIII 1893 p. 65 adn. 14.

ἵν' ὁ σύνδουλος σκώψας αὐτοῦ τὰς πληγὰς εἶτ' ἀνέροιτο·
'ὦ κακόδαιμον, τί τὸ δέρμ' ἔπαθες; μῶν ὑστριχὶς εἰσέβαλέν σοι
εἰς τὰς πλευρὰς πολλῇ στρατιᾷ, κἀδενδροτόμησε τὸ νῶτον'; —
τοιαῦτ' ἀφελὼν κακὰ καὶ φόρτον καὶ βωμολοχεύματ' ἀγεννῆ
ἐποίησε τέχνην μεγάλην ἡμῖν κἀπύργωσ' οἰκοδόμησας
ἔπεσιν μεγάλοις καὶ διανοίαις καὶ σκώμμασιν οὐκ ἀγοραίοις,
οὐκ ἰδιώτας ἀνθρωπίσκους κωμῳδῶν οὐδὲ γυναῖκας, etc.

Quibus ex locis 'Megarica' quae nominatur in fabula servum, qui scurrae partes agebat et nugis satis illepidis spectatoribus risum movere studebat, in scaenam productum esse videmus. Servus fabulae Megarica ab Athenaeo quoque commemoratur (XIV, 659 A): Μαίσων γέγονεν κωμῳδίας ὑποκριτὴς Μεγαρεὺς τὸ γένος, ὃς καὶ τὸ προσωπεῖον εὗρε τὸ ἀπ' αὐτοῦ καλούμενον μαίσωνα ὡς Ἀριστοφάνης φησὶν ὁ Βυζάντιος τῷ περὶ Προσώπων (p. 276 N.), εὑρεῖν αὐτὸν φάσκων καὶ τὸ τοῦ θεράποντος πρόσωπον καὶ τὸ τοῦ μαγείρου. Testimonium Athenaei magni sane est pretii, quod quo rectius eius verba interpretemur cum versibus Aristophaneis erit comparandum. Minus autem fabulas Megaricas novimus, quam ut cum Roberto haec verba de servo, qui a Polluce nominatur θεράπων ἡγεμών, dicta esse concludere possimus [1]).

Alius ludus popularis fabula erat Dorica et Epicharmea, cuius nihil nisi fragmenta inter se non cohaerentia nobis conservata sunt. His quoque in fabulis servi scurriles fuisse partes maxime verisimile est. Nam in vasculis Phlyacum Tarentinorum saepe depingitur servus, cui nomen est Xanthias [2]) aut Cario [3]), qui aut dominum comitatur et onus ei fert, aut furtum facit. Ex vestitu autem histrionum has imagines comoediam popularem Doricam spectare demonstratum est [4]). Itaque servus, fur atque scurra, iam a poetis Doricis in scaenam productus est [5]).

1) Die Masken der neueren attischen Komödie, 25. Hall. Winkelmannsprogramm, 1911, p. 69 sq.

2) cf. Heydemann, Phlyakendarstellungen, Jahrb. d. K. Deutsch. Archäol. Institutes I 1886, p. 260 sqq. imagines D p. 273 sq., c p. 292 sq., X p. 287 sqq.

3) ib. im. P. p. 282.

4) cf. Koerte, l. s. s. imprimis 92 sq., Reich, Der Mimus I 496 sq.

5) cf. A. de Salis, De Doriensium ludorum in comoedia attica vestigiis, diss. Basil. 1905, p. 23 sqq.

§ 2.

Aristophanis in fabulis antiquioribus haud magnae sunt servorum partes.

In Acharnensibus nonnumquam ministri in scaenam producuntur. Dicaeopolis cum eis pompam facit (249 μετὰ τῶν οἰκετῶν) et Xanthiam servum phallum portare iubet (243):

ὁ Ξανθίας τὸν φαλλὸν ὀρθὸν στησάτω (cf. 259 sq.).

Boeotus cum servo incedit qui onus ei fert (cf. 861, 954). In versibus 1007 sqq., 1040 sq., 1043, 1047 servi in scaenam prodeunt et in versibus 1114 sq. Dicaeopolis Lamachi irridendi causa cum puero colloquitur. Alii servi aliquot verba faciunt. Dicaeopolidi, qui Euripidem adire vult et ianuam eius pultat, ianitor interrogatus (395):

ἔνδον ἔστ' Εὐριπίδης; dicit:

οὐκ ἔνδον ἔνδον τ' ἐστίν, εἰ γνώμην ἔχεις.

et cum Dicaeopolis interrogaverit: πῶς ἔνδον, εἶτ' οὐκ ἔνδον; ei 'argute' respondet: ὀρθῶς, ὦ γέρον·

ὁ νοῦς μὲν ἔξω ξυλλέγων ἐπύλλια
οὐκ ἔνδον, αὐτὸς δ' ἔνδον ἀναβάδην ποιεῖ
τραγῳδίαν.

Dicaeopolis servum doctum et argutum et eri sui similem admiratur: ὦ τρισμακάρι' Εὐριπίδη,

ὅθ' ὁ δοῦλος οὑτωσὶ σοφῶς ὑποκρίνεται.

Lamachi gloriosi similis est servus, qui Dicaeopolidem alloquitur (959) et de ero suo dicit (964 sq.) Aeschyli verbis usus (Septem 384 Weil.): ὁ δεῖνος, ὁ ταλαύρινος, ὃς τὴν Γοργόνα

πάλλει, κραδαίνων 'τρεῖς κατασκίους λόφους'.

Praeterea παράνυμφος ab ero missus Dicaeopolidem alloquitur (1048 sqq.) et nuntius sacerdotis Bacchi ad cenam illum vocat, cuius apparatus multis verbis describit (1085 sqq.). In exitu fabulae (1174) minister Lamachi misere erum vulneratum esse nuntiat (1178 sqq.).

Multo maiores servorum sunt partes in Equitibus. Initio fabulae Nicias, Demi servus, in scaena est et queritur, quod propter Paphlagonem, servum nuper emptum, verberatus est. Demosthenes, conservus eius, intrat et iram et indignationem communicat cum Nicia, qui verbis tragicis usus ei respondet (8 sq.):

δεῦρο δὴ πρόσελθ’, ἵνα
‘ξυναυλίαν κλαύσωμεν Οὐλύμπου νόμον.’

Ambo ridiculum in modum lugent et tibiarum sonum imitantur (10). Demosthenes deliberandum esse dicit, quomodo servarentur (11 sp.), sed neuter consilium dare potest utile. Nicias Euripidis Hippolyti versum 345 ioci causa affert: πῶς ἂν σύ μοι λέξειας ἁμὲ χρὴ λέγειν; nugas agit (17 sq., 21 sq.), consilium dat effugiendi. Deinde Demosthenes se ad argumentum fabulae narrandum comparat (35 sq.) et Nicia consentiente Paphlagonem in gratiam Demi venisse et alios servos ex eo tempore apud dominum nihil valere spectatoribus narrat. Argumento explanato ad Niciam rursus se convertit et de salute deliberant facetiis usi (71 sqq.). Mortem volunt obire fortiter et Nicias Sophoclis versum spectans (fr. 663 Nauck[2])

ἐμοὶ δὲ λῷστον αἷμα ταύρειον πιεῖν

dicit (83): βέλτιστον ἡμῖν αἷμα ταύρειον πιεῖν.

At Demosthenes vinum laudat et Niciam cadum vini plenum intus surripere iubet (85 sqq., 89 sqq.). Quo facto bibunt et Demosthenes Niciae consilium dat, ut Paphlagonis oracula auferat. Librum, quem Nicias apportavit, Demosthenes inspicit, saepius conservum poculum replere iubet, oraculum cum eo communicat hoc (127 sqq.): ‘Paphlago a botulario, qui illo est impudentior, opprimetur’. Eodem tempore botularius advenit et Demosthenes eum salutat et laudibus effert (147 sqq.). Nicias scaenam relinquit (154):

ἐγὼ δ’ ἰὼν προσκέψομαι τὸν Παφλαγόνα.

neque postea prodit. Demosthenes botularium sollemnibus verbis salutat tragico usus versu quodam (159):

ὦ τῶν Ἀθηνῶν ταγὲ τῶν εὐδαιμόνων.

Spectatores ei ostendit et dicit:

τούτων ἁπάντων αὐτὸς ἀρχέλας ἔσει,
καὶ τῆς ἀγορᾶς, καὶ τῶν λιμένων, καὶ τῆς Πυκνός.
βουλὴν πατήσεις καὶ στρατηγοὺς κλαστάσεις,
δήσεις, φυλάξεις, ἐν Πρυτανείῳ — λαικάσεις.

Magna potentia et magnis divitiis promissis cum eo agit et oraculum ei legit (197 sqq.) atque interpretatur. Postremo botulario consilia dat et chorum spectatoresque ei adfuturos esse pollicetur (225 sqq.). Paphlago tum ipse venit et poculo aspecto increpat Demosthenem, qui botularii animum confir-

mare studet (240 sqq.). Deinde chorus prodit et in Paphlagonem vehementer invehitur et mox inter hunc et botularium certamen oritur, cui Demosthenes interest. Qui verba eorum ad ridiculum convertit veluti 340 sqq.:

(Παφλ.) οἴμοι, διαρραγήσομαι. (Ἀλλ.) καὶ μὴν ἐγὼ οὐ παρήσω·
(Δημ.) πάρες, πάρες, πρὸς τῶν θεῶν, αὐτῷ διαρραγῆναι.

(cf. 359 sq., 427 sq.) aut sodali adest (cf. 366, 375 sqq., 451, 453) et, postquam Paphlago eos reliquit, consilia ei dat ad contentionem et pugnam utilia (490 sqq.). Post Parabasem Paphlago et botularius rursus certant et uterque Demi gratiam sibi conciliare studet, quo in certamine botularius denique victoriam adipiscitur. Tum Demosthenes revertitur et praemio affici cupit (1254 sqq.):

ὦ χαῖρε, καλλίνικε, καὶ μέμνησ' ὅτι
ἀνὴρ γεγένησαι δι' ἐμέ· καί σ' αἰτῶ βραχύ,
ὅπως ἔσομαί σοι φανὸς ὑπογραφεὺς δικῶν.

Deinde rursus domum intrat.

In Equitibus prologum dici videmus a duobus servis. Iocantur ac nugantur et spectatoribus risum movere student. Deinde alter argumentum dicit fabulae, alter, qui persona protatica est, postea scaenam relinquit. Demosthenis autem partes maioris momenti sunt et hic botularium ad certamen cum Paphlagone ineundum commovet, cui aliquamdiu interest. Postea a victore praemium petit. Paphlapo quamquam ipse quoque servus nominatur (2, 44), tamen inter servos numerandus non est; nam hac in persona poeta Cleonem describere et irridere voluit. Itaque servorum huius fabulae partes et maioris momenti et diversas a partibus servorum Acharnensium esse videmus. Similiter res se habet in Vespis et in Pace.

In initio Vesparum Sosias et Xanthias ante domum Philocleonis eri sedent, ut iussu filii eum custodiant[1]). Parumper dormiunt et, postquam experrecti sunt, alter alteri somnum narrat iocosum (16 sqq., 31 sqq.). Deinde Xanthias argumentum dicit fabulae (54—73) et ambo ad spectatores se convertunt et nonnullos eorum vellicant. Quo facto Xanthias domini mores amplius describit et eum litium cupidissimum

1) De Vespis cf. U. de Wilamowitz, Über die Wespen des Aristophanes. Sitz.-Ber. d. Preuss. Ak. d. Wiss., 1911 p. 460 sqq.; 504 sqq.; de servis: p. 482 sq.

esse multis verbis et exemplis demonstrat (86—135). Interim Bdelycleo e somno experrectus est et servos custodiae commonefacit (136 sqq.). Cum Xanthias post domum abierit, Bdelycleo et servi Philocleonem, qui per fumarium, deinde per ianuam effugere studet, retinent. Ille autem alium dolum excogitat et asinum se vendere velle simulat. Sed cum filius se asinum ipsum venditurum esse responderit, sub pelle bestiae latens velut Ulixes antrum Cyclopis domum relinquere conatur. Sosias autem et Bdelycleo eum detegunt et domum reducunt. Qui postquam senem per tectum effugere prohibuerunt, auctore servo quieti rursus se tradunt. Quo facto chorus vesparum intrat et Philocleonem ad iudicium et lites allicere et custodibus somno oppressis effugere instituunt. Tum ambo expergiscuntur (395), senem fugientem cernunt, retrahunt. Cum choro, qui seni auxilio venit, confligunt et Bdelycleo, quod pater liberatus est, alios servos, Midam, Phrygem, Masyntiam, advocat (433 sqq.). Xanthias quoque auxilio venit et denique 'vespas' repellunt. Bdelycleo tum de rebus publicis loquitur et Sosias domini verbis obscaenum iocum addit (500 sqq.) Bdelycleo et Philocleo colloquuntur et servi a scaena abeunt (post v. 522). Filius patri persuadet, ut domi maneat et ibi familiae ius dicat, et servi prodeunt, ut seni domi iudicium apparent. Qui postquam abierunt, Sosias venit (835) et canem accusat, qui caseum Siciliensem surripuerit. Iussu Bdelycleonis (843) duos canes, et accusatorem et reum, adducit (post v. 891) et ridiculum in modum partes agit accusatoris (907 sqq., 914 sqq., 922 sqq., 926 sqq.). Iudicio scurrili habito et reo magna cum perturbatione senis absoluto omnes scaenam relinquunt. Post chori carmina Sosias redit et se a sene verberatum esse queritur verbis multis et ridiculis (1292 sqq.):

ἰὼ χελῶναι μακάριαι τοῦ δέρματος,
καὶ τριμακάριαι τοῦ ἐπὶ ταῖς πλευραῖς τέγους.
ὡς εὖ κατηρέψασθε καὶ νουβυστικῶς
κεράμῳ τὸ νῶτον, ὥστε τὰς πλευρὰς στέγειν.
ἐγὼ δ᾽ ἀπόλωλα στιζόμενος βακτηρίᾳ.

Deinde senem cum sodalibus lascivire et gaudio exsultare choro et spectatoribus narrat (1299—1325). Quibus ex versibus eum ad spectatores docendos a poeta productum esse apparet et eadem de causa in exodo fabulae rursus in scaenam prodit et

spectatoribus insaniam senis depingit (1474 sqq.) et paulo post seni ipsi opprobrio dat (1486 sqq. cf. 1489: πῖθ' ἐλλέβορον).

Itaque in Vespis haud aliter atque in Equitibus in prologo duos servos in scaena esse et ab altero argumentum fabulae narrari, alterum mox abire videmus. Sosiae autem partes minoris momenti sunt quam Demosthenis Equitum, quod ipse nihil agit sed nonnisi minister est Philocleonis. Ioci et facetiae rarius inveniuntur, quod prologis Equitum et Vesparum comparatis facile intellegitur.

Etiam in initio Pacis in scaena videmus Sosiam et Xanthiam, quos nominat van Leeuwen, servos Trygaei. Sosias a Xanthia offam petit et scarabaeo complures offas adportat. Interdum Xanthias ad spectatores se convertit et de edacitate scarabaei queritur. Sosias paulo post redit et ipse quoque scarabaeum increpat verbis usus paene tragicis (38 sqq.). Deinde servi se ad argumentum fabulae narrandum convertunt (43 sqq.) et postquam Sosias scaenam relinquit, ut scarabaeo bibere ministret (49), Xanthias spectatoribus argumentum dicit fabulae, prohoemio usus satis ridiculo (50 sqq.):

ἐγὼ δὲ τὸν λόγον γε τοῖσι παιδίοις
καὶ τοῖσιν ἀνδρίοισι καὶ τοῖς ἀνδράσι
καὶ τοῖς ὑπερτάτοισιν ἀνδράσιν φράσω,
καὶ τοῖς ὑπερηνορέουσιν ἔτι τούτοις μάλα.

Erum suum insanire et scarabaeo usum ad Iovem ipsum volare in animo habere spectatoribus narrat. Ille, cuius vocem iam antea audiverat (61 sqq.), ipse apparet scarabaeo invectus et Xanthias insaniam ei opprobrio dat saepius et, quid in animo habeat, eum interrogat (102 sqq.). Dominum ab incepto insano arcere studet (109) et filias duas Trygaei advocat, ut ipsae quoque patrem rogent, ne faciat, quod sibi proposuerat, et cum iis postea scaenam relinquit. Postquam Trygaeus Pacem, Oporam, Theoriam a caelo in terram deduxit, Xanthias rursus in scaenam producitur dominum comitatus, quem interrogat de itinere caelesti, de animis mortuorum (824 sqq.), postremo de comitibus suis haud sine facetiis ad spectatores dictis (848 sqq.). Opora domum abducta idem omnia ad nuptias parata esse dicit haud urbane (868 sqq.):

ἡ παῖς λέλουται καὶ τὰ τῆς πυγῆς καλά,
ὁ πλακοῦς πέπεπται, σησαμῆ ξυμπλάτεται,

καὶ τἄλλ' ἀπαξάπαντα· τοῦ πέους δὲ δεῖ.

Deinde ille Theoria quis sit, dominum interrogat. Tum sacrificium parant (922 sqq.) et Trygaeus, quid immolent, a servo quaerit, qui iocose ei respondet (926, 928, 931 sqq.) et in sacrificio parando ministeria sua ei praestat (956 sqq.) haud sine dictis obscaenis atque domini verbis in ridiculum conversis (963 sqq., 966 sq.). Ove immolata Xanthias et Trygaeus redeunt et cenam parant. Hieroclem sacerdotem, qui intrat, se aspexisse irridendi causa dissimulant (1052 sqq.), qui multis nugis a Trygaeo actis a servo verberibus depellitur. Postea erus Xanthiam mensas purgare et alia ministeria facere iubet (1191 sqq.).

Itaque tribus in fabulis prologum dici videmus a duobus servis, quorum alter scaenam mox relinquit, alterius autem partes vel propter narrationem argumenti fabulae multo maioris momenti sunt quam servorum fabulae antiquioris[1]. Ipsa autem argumenti narratio in Vespis plane discrepat a moribus bomolochi: Xanthias enim his versibus poetae ipsius causam agit. In priore tamen parte fabulae iocos dicunt et nugas agunt sicut dominus ipse antea et servum successisse videmus domino in partibus bomolochi, scaenis autem posterioribus spectatorum animi ad res graviores admoventur: ad rixam inter Paphlagonem et Agoracritum ortam in Equitibus, ad operam et studium filii, qui patrem a litibus amoveat, in Vespis, ad Trygaei iter caeleste in Pace, et servus aut alteri certantium adest et facetiis utitur verbis illius ad ridiculum conversis, aut ministeria facit, aut scaenam relinquit. Servi partes bomolochi a fabula alienas esse et ab ea seiungi posse et ex fabulis antiquioribus sumptas esse apparet. Itaque in Vespis et in Pace, in quibus artius cum fabula ipsa cohaerent, servi illi magis sunt ministri quam scurrae. Servos autem scurras iam antea a poetis comicis in scaenam productos esse Aristophanis apparet Vesparum e versibus supra (p. 7) allatis[2]. Aristophanes autem his locis, quos se spernere adfirmarat iocos (cf. p. 7 sq.), iis ipse utitur ineptis et satis vulgaribus.

In Nubibus servus quidam minister est Strepsiadis in

1) cf. Suess l. s. s. p. 69 sqq.

2) cf. Suess l. s. s. p. 72.

scaena prima (cf. 76 sqq.), et in exitu fabulae (1485 sqq.) Xanthias servus Strepsiadem in aedificio diruendo adiuvat.

Item servorum nullius paene momenti sunt partes in Avibus, Lysistrata, Thesmophoriazusis, Ecclesiazusis.

Plura autem verba dicenda sunt de Xanthia Ranarum. In prima scaena videmus Liberum et Xanthiam, servum eius, qui onus fert, ad inferos iter facturos. Primis versibus de servorum iocis sollemnibus et vulgaribus loquuntur, quos in fabulis supra allatis invenimus. Qualia Liber audire recusat inprimis querelas servorum, qui de onere ferendo conqueruntur et in comoediis Phrynichi, Lycis, Amipsiae semper spectatoribus iocis et nugis illepidis risum movere student[1]):

X. Εἴπω τι τῶν εἰωθότων, ὦ δέσποτα,
ἐφ' οἷς ἀεὶ γελῶσιν οἱ θεώμενοι;
D. νὴ τὸν Δί' ὅτι βούλει γε, πλὴν 'πιέζομαι',
τοῦτο δὲ φύλαξαι, πάνυ γάρ ἐστ' ἤδη χολή.
X. μηδ' ἕτερον ἀστεῖόν τι; — D. πλήν γ' 'ὡς θλίβομαι'.
X. τί δαί; τὸ πάνυ γέλοιον εἴπω; D. νὴ Δία
θαρρῶν γε· μόνον ἐκεῖν' ὅπως μὴ ῥεῖς. X. τὸ τί;
D. μεταβαλλόμενος τἀνάφορον ὅτι χεζητιᾷς.
X. μηδ' ὅτι τοσοῦτον ἄχθος ἐπ' ἐμαυτῷ φέρων,
εἰ μὴ καθαιρήσει τις, ἀποπαρδήσομαι;
D. μὴ δῆθ', ἱκετεύω, πλήν γ' ὅταν μέλλω 'ξεμεῖν.
X. τί δῆτ' ἔδει με ταῦτα τὰ σκεύη φέρειν
εἴπερ ποιήσω μηδὲν ὧνπερ Φρύνιχος
εἴωθε ποιεῖν καὶ Λύκις κἀμείψιας;
σκεύη φέρουσ' ἑκάστοτ' ἐν κωμῳδίᾳ.
D. μή νυν ποιήσῃς· ὡς ἐγὼ θεώμενος,
ὅταν τι τούτων τῶν σοφισμάτων ἴδω,
πλεῖν ἢ 'νιαυτῷ πρεσβύτερος ἀπέρχομαι.

Tamen Xanthias versibus insequentibus de gravi onere conqueritur. Deinde Bacchus cum Hercule sermonem habet, cui servus verba nonnulla adiungit (40 sq., 51) et modo servorum, qui

σκεύη φέρουσ' ἑκάστοτ' ἐν κωμῳδίᾳ

et quorum iocos Liber repudiaverat, dicit (87 sq.):

---

1) cf. Suessii interpretationem v. 15. in ed. p. 9.

περὶ ἐμοῦ δ' οὐδεὶς λόγος
ἐπιτριβομένου τὸν ὦμον οὑτωσὶ σφόδρα. (cf. 101, 115).

et mystis ab Hercule commemoratis (159 sq.):

νὴ τὸν Δί' ἐγὼ γοῦν ὄνος ἄγων μυστήρια.
ἀτὰρ οὐ καθέξω ταῦτα τὸν πλείω χρόνον.

Sed cum Liber eum onus portare et se comitari iusserit, a domino petit, ut mortuum sibi ad onus portandum sumat. Qui cum pretium maius poposcerit, quam Liber pendere vult, Xanthias sarcinas rursus portaturus assumit. Cum Charon eum, qui servus sit, transvehere nollet (190), magnus circuitus ei faciendus est. Liber ad alteram lacus ripam appulsus Xanthiam reperit (272) et ambo de rebus colloquuntur miris, quas viderunt. Paulo post portentum immane in conspectum eorum venit (288) et valde perterrentur, maxime Liber et perturbatus interrogat (309 sq.):

οἴμοι, πόθεν μοι τὰ κακὰ ταυτὶ προσέπεσεν;
τίν' αἰτιάσομαι θεῶν μ' ἀπολλύναι;

et servus (311): αἰθέρα Διὸς δωμάτιον ἢ χρόνου πόδα.

Ita respondet Euripidem ioci causa imitatus. Chorus mystarum intrat, de quo Xanthias, ut dominum, vel potius spectatores, edoceat, dicit (318 sqq.):

τοῦτ' ἔστ' ἐκεῖν', ὦ δέσποθ', οἱ μεμυημένοι
ἐνταῦθά που παίζουσιν, οὓς ἔφραζε νῷν.
ᾄδουσι γοῦν τὸν Ἴακχον ὅνπερ Διαγόρας.

Mystarum cantum ad ridiculum convertit (337 sq.), postea autem saltationi eorum interesse cupit (414 sq.). Sed rursus haud sine ioco (438 sq.) sacrinas capit et ambo ad aedes Plutonis iter faciunt. Liber portam pultat et Herculum se esse simulat (464). Ostiarius autem, Plutonis minister, permultis verbis eum increpat et pristinorum facinorum commonet et multas minas ei iacit. Quibus verbis Liber ita perterritus est, ut Xanthias interroget (479):

οὗτος, τί δέδρακας;

et domino ignaviam crimini det (480 sqq.) cf. v. 486:

ὦ δειλότατε θεῶν σὺ κἀνθρώπων.

Bacchus cum ministrum fortiorem esse intellexerit, ab eo petit, ut pelle leonis et clava sumptis Herculem se esse simulet; ipse sarcinas ferre vult (494 sqq.). Cui voluntati Xanthias confidenter obsequitur (498). Quo facto ministra deae in-

ferorum advenit et Herculem blandis verbis et cibis delicatis et aliis deliciis promissis invitat. Quam ob rem Xanthias libenter intrare vult (519 sqq.). Tum autem Liber Xanthiam pelle leonis deposita sarcinas ferre et ministrum rursus esse iubet. Quod facit Xanthias sed mox fore, ut Bacchum paeniteat huius rei, et putat et sperat. Duae caupae veniunt et magno cum gaudio Xanthiae (552, 554) Herculem voracem increpant et arguunt, quod multarum, quas comedit, rerum pretium non solverit. Tum Bacchus Xanthiae blanditur et eum iterum Herculis partes suscepturum esse cupit (579, 581). Qui primo negat et dominum irridendi causa verborum commonefacit, quae paulo ante (530 sq.) ille dixerit (582 sq.):

καὶ πῶς ἂν Ἀλκμήνης ἐγὼ
υἱὸς γενοίμην, δοῦλος ἅμα καὶ θνητὸς ὤν;

Precibus autem Bacchi commotus partes Herculis, postquam ille se eas dempturum ei non esse iuravit, suscipit (589), quamvis domino diffidat (598 sqq.). Tum minister a Plutone missus venit, ut 'Herculem' in vincula coniciat, et, cum servus ei adversetur, alios auxilio vocat. Sed Xanthias quasi Hercules insontem se esse affirmat et servum ad innocentiam suam demonstrandam omnibus cruciatibus affici vult (612 sqq.). Quod cum comprobet minister et Bacchum sarcinas deferre iubeat, ille Bacchum se esse dicit, alterum autem, qui Herculem se esse simulet, servum suum (631 sq.). Neque tamen Xanthias pertubatur sed Bacchum, cum deus sit neque doleat, eo magis verberandum esse dicit et a Baccho interrogatus (635 sq.):

τί δῆτ', ἐπειδὴ καὶ σὺ φῂς εἶναι θεός,
οὐ καὶ σὺ τύπτει τὰς ἴσας πληγὰς ἐμοί;

satis confidenter respondet:

δίκαιος ὁ λόγος· χὠπότερον ἂν νῷν ἴδῃς
κλαύσαντα πρότερον ἢ προτιμήσαντά τι
τυπτόμενον, εἶναι τοῦτον ἡγοῦ μὴ θεόν.

Sequitur fabulae pars maxime scurrilis: uterque vapulat et se algere dissimulat (645 sqq.). Qua de causa minister denique ab incepto suo desistit et eos ad deos inferos ducit (667 sqq.). Post chori cantum Xanthias et minister Plutonis reveniunt (738) et colloquuntur. Minister Bacchum admiratur propter humanitatem, cum servum, qui domini partes egerit, non ver-

beraverit. Ingenium autem servile et ministri et Xanthiae optime apparet ex colloquio eorum, cuius nihil simile in reliquis comoediis invenitur et quod ideo praecipue dignum est, quod afferatur (738 sqq.):

(Οἰκ.) νὴ τὸν Δία τὸν σωτῆρα, γεννάδας ἀνὴρ
ὁ δεσπότης σου. (Ξαν.) πῶς γὰρ οὐχὶ γεννάδας,
ὅστις γε πίνειν οἶδε καὶ βινεῖν μόνον;
(Οἰκ.) τὸ δὲ μὴ πατάξαι σ' ἐξελεγχθέντ' ἄντικρυς,
ὅτι δοῦλος ὢν ἔφασκες εἶναι δεσπότης.
(Ξαν.) ᾤμωξε μέντἄν. — (Οἰκ.) τοῦτο μέντοι δουλικὸν
εὐθὺς πεποίηκας, ὅπερ ἐγὼ χαίρω ποιῶν.
(Ξαν.) χαίρεις, ἱκετεύω; — (Οἰκ.) μάλλ' ἐποπτεύειν δοκῶ,
ὅταν καταράσωμαι λάθρᾳ τῷ δεσπότῃ.
(Ξαν.) τί δὲ τονθορύζων, ἡνίκ' ἂν πληγὰς λαβὼν
πολλὰς ἀπίῃς θύραζε; — (Οἰκ.) καὶ τοῦθ' ἥδομαι.
(Ξαν.) τί δὲ πολλὰ πράττων; — (Οἰκ.) ὡς μὰ Δί' οὐδὲν οἶδ' ἐγώ.
(Ξαν.) ὁμόγνιε Ζεῦ· καὶ παρακούων δεσποτῶν
ἅττ' ἂν λαλῶσι; — (Οἰκ.) μάλλὰ πλεῖν ἢ μαίνομαι.
(Ξαν.) τί δὲ τοῖς θύραζε ταῦτα καταλαλῶν; — (Οἰκ.) ἐγώ;
μὰ Δί', ἀλλ' ὅταν δρῶ τοῦτο, κἀκμιαίνομαι.
(Ξαν.) ὦ Φοῖβ' Ἄπολλον, ἔμβαλέ μοι τὴν δεξιάν,
καὶ δὸς κύσαι καὐτὸς κύσον, καί μοι φράσον,
πρὸς Διός, ὃς ἡμῖν ἐστιν ὁμομαστιγίας . . . . .
τίς οὗτος οὔνδον ἐστὶ θόρυβος χὴ βοὴ
χὠ λοιδορησμός; — (Οἰκ.) Αἰσχύλου κεὐριπίδου.

Tum οἰκέτης Xanthiae, qui narrationem eius saepius interrogationibus interrumpit, certamen Aeschyli et Euripidis narrat (759—813). Quo facto ambo a scaena recedunt neque postea prodeunt.

In Pluto Carionis sunt partes, servi Chremyli. In prima scaena Carion dominum comitatur et sortem servi, quod imperatis eri semper obtemperare debet, miseram esse queritur versibus comoediae primis:

Ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐστίν, ὦ Ζεῦ καὶ θεοί,
δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου.
ἢν γὰρ τὰ βέλτισθ' ὁ θεράπων λέξας τύχῃ,
δόξῃ δὲ μὴ δρᾶν ταῦτα τῷ κεκτημένῳ,
μετέχειν ἀνάγκη τὸν θεράποντα τῶν κακῶν.

τοῦ σώματος γὰρ οὐκ ἐᾷ τὸν κύριον
κρατεῖν ὁ δαίμων, ἀλλὰ τὸν ἐωνημένον.

Servus philosophatur de iniquitate fortunae, cuiusmodi sermonem adhuc apud Aristophanem non invenimus. Deinde dominum ab Apolline occaecatum iam dudum virum quendum caecum sequi narrat et ex eo quaerit, cur hoc faciat. Quamquam a domino repellitur, tamen interrogare pergit neque prius desistit, quam Chremylus ei respondere vult, cum e numero servorum sit πιστότατος καὶ κλεπτίστατος (27). Cario autem domino voluntatem Apollinis se interpretari posse dicit satis confidenter (45 sqq.):

(Car.) εἶτ' οὐ ξυνίεις τὴν ἐπίνοιαν τοῦ θεοῦ,
φράζοντος, ὦ σκαιότατέ, σοι σαφέστατα,
ἀσκεῖν τὸν υἱὸν τὸν ἐπιχώριον τρόπον;
(Chrem.) τῷ τοῦτο κρίνεις; (Car.) δῆλον ὁτιὴ καὶ τυφλῷ
γνῶναι δοκεῖ τοῦθ', ὡς σφόδρ' ἐστὶ ξύμφορον
τὸ μηδὲν ἀσκεῖν ὑγιὲς ἐν τῷ νῦν γένει.

Sed cum Chremylus, quis sit ille, quem sequitur, scire velit, Cario eum satis agreste interrogat (56 sq.). Quod etsi dominus ei opprobrio dat, tamen Cario caeco valde minatur (65, cf. 67 sqq.). Denique ille Plutum se esse profitetur. Chremylus et Plutus secum colloquuntur, cui sermoni Cario primum aliquot verba et minas addit (111, 118), postea, cum de pecunia agatur, iterum de sorte servi conqueritur et sententias magis ad rem pertinentes profert (147 sq., 158 sq.); postremo autem domini orationis seriae eum taedet et iocos atque spurcitias adiungit (165, 168, 174 sqq.), dum Chremylus turbae verborum ipse finem facit (180)[1]. — Seriora sunt verba postea dicta (184 sq.), sed rursus domini verba in ridiculum convertit (190 sqq.). Deinde ad amicos Chremyli arcessendos mittitur (222 sqq.), quibuscum paulo post redit (253). A quibus interrogatus quamquam primum aperte non dicit, quis sit peregrinus ille, et chorus ideo, quod se a servo ludibrio haberi putat, baculo ei minatur (271 sq.), tamen paulo post Plutum ipsum advenisse narrat (284 sq.). Quo nuntio chorus magno afficitur gaudio, quod una cum Carione cantibus scurrilibus et lascivis

1) In versibus distribuendis Suessium sequor, qui luculenter eos interpretatus est diss. p. 90 sqq.

prae se fert (290—321). Tum Cario aliquamdiu afuturus scaenam relinquit. Postea (627) redit et choro versibus scurrilibus salutato Plutum sanatum esse nuntiat (633 sqq.), quo nuntio ille magnopere delectatur (637, 639 sq.). Ab uxore Chremyli vinum postulat, quod nuntium faustum attulit et eam propter vinolentiam cavillatur (644 sqq.):

ταχέως, ταχέως, φέρ' οἶνον, ὦ δέσποιν', ἵνα
καὐτὴ πίῃς· φιλεῖς δὲ δρῶσ' αὐτὸ σφόδρα·
ὡς ἀγαθὰ συλλήβδην ἅπαντά σοι φέρω.

Sese rem accurate narraturum pollicitus (649 sq.) pluribus verbis, quomodo Plutus in fano Aesculapii sanatus sit et quas res ibi viderit, iis exponit (653 sqq.) ab anu saepius interruptus (657 sq., 664, 684, 696, 700) et ad res minoris momenti narrandas commotus (664). Copiosius de nugis, quas ibi egerit, loquitur (672 sqq.). Ollam pultis triticeae plenam furari in animo habebat et, cum sacerdotem liba in saccum condentem videret, ipse celeriter ad ollam accessit. Cum strepitu anus e somno excitata esset, sibilum anguis imitatus est, ut illa se contegeret et prae timore pederet. Deinde pulte ventrem sibi implevit et postea valde pepedit. Sacerdos interim ad aegrotos accessit et morbos eorum inspexit (707 sq.) et Plutus ab eo miro modo et celeriter sanatur (727 sqq.), quam celeritatem anui mordaciter describit verbis his (737 sq.):

καὶ πρίν σε κοτύλας ἐκπιεῖν οἴνου δέκα,
ὁ Πλοῦτος, ὦ δέσποιν', ἀνειστήκει βλέπων.

Postremo ipsum cum comitibus appropinquare nuntiat (749 sqq.) Plutum, qui paulo post intrat et se curatum esse laetatur (778 sqq.). Cario autem multis verbis divitias celebrat, quae tantas opes et tantam bonarum rerum copiam domino et sibi comparaverint (802 sqq.). Vir iustus advenit et ad Plutum aditurus est, cuius gratia divitem se factum esse Carioni, qui eum, quis esset, interrogavit, copiose narrat (823 sqq.). Pluto, ut gratias ageret, pallium antiquum et soleas dedicaturus est, quam ob rem a Carione irridetur (849):

χαρίεντά γ' ἥκεις δῶρα τῷ θεῷ φέρων.

Quod vix dixerat, cum sycophanta intravit et se per deum damnum accepisse maximum misere lamentatur (850 sqq.). Qua ex re vir iustus hominem nefarium eum esse concludit

(860 sqq.) et servus optimo iure eum damno affectum esse addit (863) et, quis sit, interrogat verbis (869):

ἦ τῶν πονηρῶν ἦσθα καὶ τοιχωρύχων;

Qui cum servum increpet, vapulat (894 sq.) et graviter obiurgatur (891 sq.). Deinde a viro iusto, etsi aperte ei respondere non vult, interrogatur, quid sit artificium suum (901 sqq.), et sycophantam eum esse intellegunt. Sago et calceis spoliatur et Carione auctore (935 sq.) pallium obsoletum et soleas viri iusti accipit, vestis autem pulchra eius deo sacrificabitur (938 sqq.). Sycophanta se inferiorem esse videt sed deum se accusaturum esse minatur et scaenam relinquit magnopere irrisus ab adversariis suis (951 sqq., 955 sqq.), qui ipsi vestis deo dedicandae causa abeunt (958). Interim Chremylus cum anu et adulescentulo colloquitur. Qui cum abissent, Mercurius advenit et portam pultat (1097 sqq.), quam Cario ei aperit. Mercurius dominum et totam familiam convocari iubet et, quod Plutus sanatus est, verbis Iovis aliorumque deorum conqueritur, nam ex isto tempore homines deis non iam sacrificant; quo fit ut di fame misere vexentur, maxime Mercurius ipse (1112 sqq., 1120 sqq.). Multarum rerum bonarum, quas antea comedit, mentionem facit (1125 sqq.) et a Carione panem et carnem petit (1136 sqq.). Quod cum neget ille, sese iis ministeria facturum esse pollicitus a servo, qui satis contemptim et superbe se gerit adversus eum, postremo, ut certaminibus praesit musicis et gymnicis, intromittitur (1168 sqq.). In scaena insequenti, qua fabula ad finem perducitur, Cario non iam agit.

Partes Carionis maiores sunt quam partes servorum, quas supra descripsimus. Bomolochus adest non modo in parte priore fabulae sed etiam in scaenis posterioribus, quod maximi momenti est. In fabulis enim, de quibus antea egimus, servi partes in scaenis posterioribus multo minores erant atque servi colloquio aliorum intererant et ridicula dicebant et nugas agebant, Xanthias Ranarum in parte posteriore ne aderat quidem. Aliter autem hac in fabula res instituta est, quod Suessius optime dicit verbis his[1]): 'Accedunt autem iterum illae personae, quas iam ex Acharnensibus, Nubibus, Vespis, Avibus novimus: δίκαιος ἀνήρ, συκοφάντης, γραῦς, νεανίας, Ἑρμῆς,

1) l. s. s. p. 94.

sacerdos Iovis, qui omnes consueto more depelluntur. Mire autem hic et satis memorabiliter illud accidit, quod et servus et dominus in eis irridendis versantur, nunquam sane una eademque scaena coniuncti illi, sed alter alterius subiens munus.'

In Ranis partes domini et servi ioci causa mutantur, in Pluto autem Cario domini loco cum Mercurio agit. Itaque partes servi iam apud Aristophanem augentur, quod maximi momenti est ad partes servorum comoediae Menandreae recte intellegendas.

Ex fragmentis Aristophanis et reliquorum ἀρχαίας poetarum, etsi multa nobis conservata sunt, quod ad partes servorum attinet, nihil fere cognoscere possumus. Commemorandum est Aristophanis in Thesmophoriazusis II servum de onere ferendo conqueri similiter atque Xanthiam Ranarum (fr. 323, K I 477).

§ 3.

Sed etiam apud poetas tragicos servi producuntur, de quibus nobis agendum est[1]).

In initio Agamemnonis Aeschylei custodem videmus in tecto domus regiae excubantem. Multos iam annos minister fidelis hoc officio fungitur et taedae ardentis, quae Troiam captam esse nuntiabit et ministerio molestissimo finem faciet, speciem exspectat. Etiam curis vexatur, quod malum quoddam domus regiae dolet (16—19). Sed magno cum gaudio suo subito longinqui ignis speciem conspicit (22 sqq.). Qua de re celeriter dominam certiorem facere (26) et ipse gaudio exsultare vult (31) et reducis domini se manum manu sua pressurum esse gaudet (34 sqq.). Sed rursus malas quasdam res spectat, de quibus aperte loqui non vult (36 sqq.). Itaque servum hunc Agamemnonis fidelem sed admodum verbosum et loquacem esse videmus. In modum servorum antiquorum secreta domus, quae ei plane nota non sunt, se scire gloriatur. Hae autem partes a partibus servorum Aristophaneorum, quantum fieri potest, diversae sunt et poetam iis usum esse ap-

---

1) cf. Ioann. Schmidt, Der Sklave bei Euripides I, II Grimmae 1891.

paret ad animos spectantium ad fabulam ipsam et res sinistras taetrasque praeparandos.

Fidelis quoque Clytaemestrae est servus, qui in Choephoris (875 sqq.) multis cum lamentis Aegisthum necatum esse certiorem eam facit.

Sophoclis in Antigona custos, cui corpus Polynici clam terra tectum esse Cleoni nuntiandum est (223 sqq.), timidus et anxius venit et longo prohoemio facto, quamvis diu cunctatus neque domino nuntium infaustum afferre ausus sit, tamen venisse se, quod nihil contra fortunam se perpessurum esse sibi persuasisset, multis verbis narrat (223—236). Antequam rem omnem aperit, se ipsum innocentem esse confirmat (238 sqq.) et iterum a rege interrogatus (244) primum paucis verbis, quid factum sit, nuntiat (245 sqq.), deinde corpus custodibus inopinantibus ab homine quodam neque comprehenso neque noto quidem pulvere tectum esse regi copiose et accurate narrat (249—277). Quibus ex verbis optime cognosci possunt ceterorum custodum animi, inter quos rixa orta est, cum alius alium insimulet et insontem se quisque esse affirmet, dum unus sorte eligatur, qui rem regi nuntiet. Nuntio ingrato magna ira incensus Cleon custodes omnes, nisi fiat, ut ille, qui imperium suum violaverit, comprehendatur, magnis cruciamentis affectum et necatum iri minatur (306 sqq.). Iram eius custos argutiis placare studet (317, 321), sed rex proditionis eum insimulat (322) et iterum ei et conservis minatur (324 sq.). Custos cum abiret, se rediturum non esse quamquam dixit (327 sqq.), sibi scilicet et spectatoribus neque Cleoni, tamen paulo post cum Antigona revertitur et illam, quod scelus commisisset, captam esse chorum et regem certiorem facit (384 sq.). Iterum proverbio usus prohoemium facit et se venisse dicit, etiamsi paulo ante se rediturum non esse iuravisset (388 sqq.), cum scelestam, quae regis imperium violavisset, captam adduceret, quod bene evenisse valde laetatur (396—400). Deinde iussu regis, quomodo Antigona, cum fratris corpus terra tegeret, a custodibus comprehensa sit, multis verbis narrat (407 sqq.). Quamquam virginis eum miseret, tamen suam ipsius salutem omnibus aliis rebus habet potiorem (436 sqq.). Itaque servi ingenium a poeta magna arte depictum esse videmus. Loquax et verbosus est et rem suam apud regem

callide agit, imprimis autem suum commodum semper spectat. Postea Haemonem et Antigonam se ipsos interfecisse per servum nuntiatur, qui chorum allocutus primum de sorte mortalium, quorum res a Fortuna sola regi dicit, et maxime Cleonis philosophatur (1155—1171), deinde cum choro res adversas domus regiae communicat (1172 sqq.). Reginae rem omnem se patefacturum esse pollicitus (1192 sqq.) Antigonam et Haemonem mortem obisse pluribus verbis ita narrat, ut ipse rem oculis cernere videaris. Quibus rebus cognitis quod regina scaenam relinquit, nuntius, quamvis senes anxii sint, non miratur (1246). Paulo post, cum Creon venerit et mortem liberorum lugeat, nuntius, qui ἐξάγγελος appellatur, domo exit et uxorem mortem sibi conscivisse dominum certiorem facit (1278 sqq.). Utroque nuntio poetam magis usum esse apparet fabulae agendae et ad exitum perducendae causa, quam ut ingenium et mores nuntiorum describeret. Etsi de posteriore nihil fere dicere possumus, tamen priorem verbosum esse et de fortuna rebusque humanis philosophantem videmus, qua re non modo spectatorum animi eriguntur et ad verba eius admoventur, sed etiam mores servi ipsius describuntur.

Nuntius Aiacis fabulae sorte et periculo domini quamquam commovetur (719 sqq., cf. 737 sqq.), tamen poeta eum magis muneris ipsius causa quam ut mores eius describeret, in scaenam produxit.

In Oedipo Rege nuntius a Corinthiis missus venit, qui regem quaerit, ut Polybum, regem Corinthiorum, mortuum esse certiorem eum faciat (924 sqq.). Oedipo nuntium cupere apparet ex verbis ad uxorem eius dictis (929 sq.), quibus illa laetatur, et, rex ipse ubi venit, mortem Polybi ei nuntiat (958 sqq.). Oedipus quamquam, quod post mortem Polybi fieri non posse putat, ut patrem suum necet, laetatur, tamen sollicitatur oraculo Apollinis, qui matrem in matrimonium eum ducturum esse ediderat (992). Quem regis timorem nuntius, cum ei amicus sit (1002 sq.), dissipare vult et Polybum patrem eius non esse patefacit (1016). Nuntius ipse, cum pastor olim Polybi esset, Oedipum infantem in saltu Cithaeronis expositum ab altero pastore, qui puerum invenerat, acceperat et apportaverat regi, cui ipsi liberi non essent. Iussu regis pastor alter vocatur (1069). — Huic nuntio, qui domini minister

fidelis et Oedipo amicus est, poeta favet et probitatem eius libenter illustravit. — Alter pastor, quem ministrum Lai fidelissimum semper fuisse senes Thebani affirmant, brevi post venit (1117 sqq.). Neque tamen pastor, quamquam a nuntio temporum illorum, quibus uterque armenta in Cithaerone pascebat, commonetur, verum dicere audet. Sed cum rex ei minatus sit et eum devinciri iusserit (1152, 1154), timidus rem omnem aperit (1157 sqq.). — Pristinus Lai minister fidelis, quamquam nuntii Corinthii satis similis est, tamen, quod ex partibus eius sequitur, timidus est et regi rem terribilem patefacere veretur. Alius minister, qui ipse quoque fidelis domino est, Iocastam se ipsam necavisse et Oedipum suis manibus oculis se privavisse choro nuntiat. Quibus atrocibus vehementer commotus una cum senibus dominum et dominam infelices commiseratur et magno in luctu est (1223 sqq.). — Hac in fabula poeta mores servorum descripsit alios atque antea, velut in Antigona, et integritatem morum et fidem eorum illustravit, cum uterque, et nuntius et pastor, maximi momenti sint ad fortunam Oedipi et Iocastae et ad exitum ipsum fabulae.

Apud tertium clarorum poetarum tragicorum, Euripidem dico, etiam maiores sunt servorum partes, quas secundum genera singula describemus et ostendemus, qua re servi Euripidei a servis antea commemoratis differant.

Cum pastoribus duobus, quos Sophocles in Oedipo Rege in scaenam produxerat, comparandi sunt multi nuntii Euripidei. — Eximia probitate nuntius est Medeae fabulae, qui vehementer indignatus (1129 sqq.) scelestum Medeae factum narrat. Ut antea una cum multis reliquorum ministrorum sorte illius commovebatur (1136 sqq., maxime 1142 sqq.), ita Creontem et filiam eius tam atroci modo mortem obisse magno opere dolet (1167, 1204). Re ipsa nuntiata philosophatur neque quemquam mortalium felicem esse dicit (1224 sqq.).

Haud aliter iudicandum est de ministro Hippolyti, qui Theseo filium mortuum esse nuntiat (1153—1267). Quamquam fidem eius erga dominos magnam esse ex verbis eius cognoscere possumus (1249 sqq.), tamen poetam eo imprimis mortis Hippolyti narrandae causa usum esse apparet. — Horum simillimi sunt nuntii Andromachae, Herculis, Electrae, Helenae, Phoenissarum, Orestis, Baccharum (Andr.

1070—1165, Hercul. 910—1015, El. 761—858, Hel. 1512—1618, Phoen. 1067—1263, 1332—1479, Or. 852—956, Bacch. 1024—1153; de fide horum nuntiorum cf. imprimis Andr. 1070 sqq., Hercul. 1013 sq., El. 761 sqq., — reliquos quoque Electrae ministros fidelis esse cum Aegistho, tum Oresti, pristini domini filio, apparet ex versibus 844 sqq.: — Phoen. 1217 sqq., 1335, 1337, Or. 852 sqq., 868 sqq., 879 sqq., Bacch. 1024 sqq., et de philosophia eorum Andr. 1161 sqq., Hel. 1617 sq., Hercul. 1014 sq., Phoen. 1197 sqq., Or. 954 sqq.)[1]. Etiam minoris momenti sunt partes nuntiorum Helenae (597—621), Iphigeniae Aulidensis (414—440, 1532—1613). Raro Euripides mores nuntiorum magis descripsit veluti Baccharum nuntii alterius (660—774), qui timidus et anxius venit neque domino in iram praecipiti nuntium infaustum afferre audet (668 sqq.) postea autem consilium ei dat utile (769 sqq.). — In Iphigenia Taurica nuntius advenit (1284), ut regem Iphigeniam cum ambobus iuvenibus ad fugam se convertisse certiorem faciat. Quam rem cum communicet cum choro et, ubi rex sit, interroget, mulieres Iphigeniae fideles domo eum arcere student. Quod cum nuntius animadverterit, mulierum perfidiam increpat (1298 sq.) et ad regem admitti vult (1302 sqq.) et cum Thoas ipse advenerit, iterum mulierum fallacium dolum indignatur. Deinde, quamquam rex de hac re eum interrogat, ad rem ipsam, quae multo maioris momenti sit, animum regis convertit (1312 sq.). Nuntio ipso allato omnia numine divino facta esse regi ostendit et, quid sua quidem sententia faciendum sit, ei aperit (1411 sqq.). — Nuntii partes agit in Heraclidis πενέστης ille (639), qui Iolaum nepotem Alcmenae cum exercitu appropinquare certiorem facit (630 sqq.) et seni arma in pugnam laturus est (720 sqq.). Post chori cantum redit (784 sqq.) et victoriam partam esse atque Iolaum mirum in modum in iuvenem mutatum res praeclaras gessisse narrat. Idem fere dicendum est et de ministro Baccharum, qui Pentheum de fuga baccharum certiorem facit (434—450) et de pastore, qui Iphigeniae duos iuvenes captos et deae immolandos esse nuntiat (Iph. T. 238—340) et de servo Ionis

1) cf. J. Schmidt. l. s. s. III Grimmae 1892

fabulae, qui, Creusam quod non invenit, nuntium, quem illi allaturus erat, choro affert (1106 sqq.).

Praeter nuntios ab Euripide saepius ministri, θεράποντες, producuntur, quorum fidem iam in antiquissima tragoediarum, quae nobis conservatae sunt, in Alcestide, poeta illustravit. Qua in fabula minister, domino sicuti ceteri quoque servi (cf. 762 sq.) fidelis venit (747) et Herculem, quamvis erus et familia eius lugeant, tamen hospitem domi Admeti manere et satis esse hilarem et potare multis verbis queritur (747—772). Quod cum dixerit, Hercules ipse venit et morositate opprobrio data eum adhortatur, ut rerum adversarum vitae humanae oblitus hilaris sit et secum bibat (773—802). Minister cum uxorem Admeti mortuam esse Herculem nescire intellexerit (807 sqq.), rem ei aperit omnem (817 sqq.). — Servorum fidelium ex numero Hippolyti quoque est servus, qui adulescenti consilium dat (88 sqq.). — Cum Theoclymenus Helenae fabulae fraude atque dolo excitatus cognatam suam necare velit (1621 sqq.), servus fidelis eum orat atque obsecrat, ne hoc faciat neque, quamvis eum dominus increpet atque ei mortem minetur, desistit et verba ei dicit servo fideli dignissima [1639 sqq.]: κτεῖνε· σύγγονον δὲ σὴν

οὐ κτενεῖς ἡμῶν ἑκόντων, ἀλλ' ἔμε· ⟨ὡς⟩ πρὸ δεσποτῶν
τοῖσι γενναίοισι δούλοις εὐκλεέστατον θανεῖν.

In Medea prologus a nutrice vetula dicitur, ad quam brevi post paedagogus accedit. Quos domino multos iam annos servire et fideles esse et fortunae secundae et rerum adversarum eius partem habere ex verbis ipsis apparet 49 sqq., cf. verba nutricis 54 sq.:

χρηστοῖσι δούλοις ξυμφορὰ τὰ δεσποτῶν
κακῶς πίτνοντα, καὶ φρενῶν ἀνθάπτεται.

Paedagogus cum nutrice rem, quam modo audivit, communicat et Creontem Medeam cum liberis ex finibus expulsurum esse nuntiat (67 sqq.), quo nuntio, quod non modo dominum sed etiam Medeam ipsam dilectam habent, magnopere dolent. Paedagogus autem omnes homines suum ipsorum commodum ceteris rebus anteponere dicit philosophi in modum (85 sqq.). — Has servorum fidelium partes, quamvis breves sint, quin poeta magna cum arte et magno cum amore scripserit, nemini, qui hos versus legit, dubium esse potest.

Itaque poetas tragicos, quamquam servis fabulae ipsius causa usi sunt, tamen ingenium et mores eorum saepe magis, quam ad argumentum fabulae explicandum opus erat, sed rarius ridiculum in modum, veluti Aeschylum custodem Agamemnonis et Sophoclem custodem Antigonae fabulae, descripsisse apparet. — Sed apud Euripidem unum invenimus servum, cuius partes scurrilem in modum et, ni fallor, ad risum spectatoribus movendum a poeta scriptae sunt, Phrygem dico Orestis (1369—1536). Minister Phrygius multo cum clamore in scaenam currit et se gladium Argivum effugisse nuntiat (1369—1379). Chorus cum his ex verbis (1381—1392), quid factum sit, cognoscere non possit, Phrygem interrogat: qui Orestem et Pyladem in Helenam impetum fecisse multis verbis narrat (1395 sqq.). Tum Orestes ipse gladio destricto in scaenam se proripit, ut Phrygem persequatur et ex fuga retrahat. Qui miserandum in modum eum orat atque obsecrat, ut sibi parcat, et scaena sequitur admodum ridicula, de qua recte dicit Fraenkelius[1]): 'Phrygis imprimis persona nescio quid scurrile et comicum prae se fert'. Quod rebus ex singulis intellegi potest, velut ex verbis (1509):

πανταχοῦ ζῆν ἡδὺ μᾶλλον ἢ θανεῖν τοῖς σώφροσιν.

Risus etiam sermone movebatur, cf. v. 1525 sqq).

(Φρ.) οὐκ ἄρα κτενεῖς με; (Ὀρ.) ἀφεῖσαι. (Φρ.) καλὸν ἔπος λέγεις τόδε.

(Ὀρ.) ἀλλὰ μεταβουλευσόμεσθα. (Φρ.) τοῦτο δ' οὐ καλῶς λέγεις.

Itaque ridicula haec Phrygis persona parum nos commonefacit artis tragicae: comoediae similior est, quod in verbis argumenti fabulae Aristophani Byzantio adscripti inest his: τὸ δρᾶμα κωμικωτέραν ἔχει τὴν καταστροφήν.

§ 4.

Aristophanes cum Euripide artem ipsam tragicam scaenam reliquisse dicit Ranarum versibus et notis et claris 868 sq. Quae verba recta sunt, si ingenium et rerum inveniendarum facultatem spectamus, nam poetae, qui post Euripidem vixe-

1) De media et nova comoedia quaestiones selectae, diss. Gotting. 1912, p. 58.

runt, artem tragicam non auxerunt, sed Euripidem sequuntur et imitantur. Itaque de iis agendum nobis non est sed de poetis, qui nova attulerunt in artem scaenicam, poetas dico mediae quae appellatur comoediae. Quorum fabulae quamquam ipsae diem non tulerunt neque ex fragmentis ratio illorum satis intellegi potest, tamen de arte qua utebantur in moribus describendis iudicare possumus ex Persa Plautina. Quam fabulam ad mediam comoediam revocandam esse ex versu 506:

'Chrysópolim Persae cépere urbem in A'rabia.'

et totius fabulae ex argumento et arte lucide demonstravit Wilamowitzius commentatione 'De tribus carminibus latinis' inscripta [1]), quem plerique viri docti secuti sunt. Itaque servorum de partibus Persae agendum nobis est, in qua duo servi, Toxilus et Sagaristio, et puer Paegnium agunt.

Prima scaena Toxilus egenti amatori multas difficultates superandas esse scurrilem in modum queritur (1—6). Sagaristioni conservo, qui deinde in scaenam venit, amore sese captum amicam, quae serva est, sescentis nummis redimere in animo habere confitetur (24 sqq.) et conservum orat, ut hac in re sibi adsit (35 sqq.). Brevi post Toxilus dolum invenit, ut meretrix a lenone manumittatur (81 sqq.). Cum Saturione parasito, qui tum prodit, consilium suum communicat (127 sqq.) et eum orat, ut sibi filiam adducat peregrinum in modum ornatam, quam lenoni pro captiva vendat. Paegnium nomine servolum, qui socius eius est, ad certamen instruit (183 sqq.). Interea alter servus, Sagaristio, ab ero suo argentum ad boves emendos accepit, quo usus et amico et sibi opem ferre studet (252 sqq.), et brevi post Toxilus, qui 'iam omnes sycophantias instruxit et comparavit' (cf. 325), argentum a conservo accipit (309 sqq.). Postquam Saturio filiam partes fabulae docuit (329—399), insidiae lenoni struuntur. Itaque Toxilus lenonem adit et salutat eum cognominibus infamibus et maledictis multis: argentum se ei redditurum esse clamat (406 sqq.). Leno eodem modo ei respondet, sed cum sescentis nummis acceptis servo meretricem se adducturum esse pollicitus sit, Toxilus fore, ut decipiatur, confidit (457 sqq.). Interim Sagaristio cum virgine advenit: sed Toxili iussu secedit, dum tempus adsit

1) Ind. schol. univ. Gotting. 1893/4, p. 13 sqq.

(462 sqq.); nam Dordalus supervenit et se lucrum fecisse exsultat (470 sqq.). Toxilus autem eum allocutus (482 sqq.) amicam iam liberam esse comperit (487 sqq.) et, dum gratiam refert, litteras ei tradit, ex Persia quas sibi ab ero allatas esse simulat (497 sqq.). Quibus ex litteris virginem bello captam ab eo, qui tabellas attulit, adduci, ut veneat, leno certior fit. Qui quamvis primo diffidat, tamen a servo callido et doloso commovetur, ut virginem spectet et cum ea et cum comite colloquatur (548 sqq.). Denique eam emit (667 sqq.) et, dum argentum apportat, servi de exitu doli deliberant (673—682). Pecunia a lenone accepta Sagaristio scaenam relinquit (710), sed breve post colloquium Toxili et Dordali Saturio, postquam Toxilus abiit, revertitur (737 sqq.) et filiam suam salutat, a qua ipse resalutatur. Virginem filiam suam esse confirmat et lenonem, qui se deceptum esse intellegit, in ius vocat. — Deinde ἀγών cum finitus sit, κῶμος incipit fabulae haud aliter atque in multis antiquae comoediae fabulis (753 sqq.)[1]. Servi ambo ʽhostibus victisʼ et ʽre bene gestaʼ gaudio exsultant et cum Lemniselenide meretrice victoriam partam hilari celebrant potatione. Dordalus ipse cum venerit et se a servo callido deceptum esse lamentetur (778 sqq.), a servis per ludibrium invitatur et iis et Paegnio irrisui est (790 sqq.) et postremo verberatur (846 sqq.).

His ex scaenis ingenium et mores servorum satis intellegere possumus. Quorum Paegnium puer simillimus et ipse quoque callidus et versutus est. Dolum et fraudes Toxili, cui adesse debet, celeriter intellexit et cum ancilla argute et sollerter neque sine iocis et spurcitiis agit (201 sqq.). Plerumque in alios, veluti Sagaristionem, impudentem se praebet et superbe et fastidiose loquitur (272 sqq.) et in ultima scaena, cum ludificetur et verberetur leno, adest.

Itaque hanc mediae comoediae fabulam, quod servi primas agunt partes, a fabulis, de quibus supra egimus, differe et solis Aristophanis fabulis postremis, Ranis et Pluto, in quibus servi producuntur arrogantes et impudentes, similem esse videmus. In Ranis enim servus et dominus ioci causa partes

---

1) cf. Walth. Schwering, Die sogenannte Kontamination in der lateinischen Komödie. Neue Jahrbücher 1916 I. Abt. XXXVII 3 p. 184.

mutant et in exitu Pluti modo servus modo dominus partes agunt, quas Aristophanis in comoediis prioribus dominus solus habuerat, hac autem in fabula nullae nisi servorum res aguntur. Etiam initium Persae cum Vespis, Pace, Equitibus comparandum est, quod omnibus his in fabulis duo servi producuntur primi sed, cum apud Aristophanem alter servus persona protatica sit, apud mediae comoediae poetam uterque usque ad exitum fabulae praesens agit[1]).

Postquam de fabulis integris disseruimus, mediae comoediae aliquot fragmenta nobis afferenda sunt. Vel ex titulis in fabulis perditis servorum partes minime parvas fuisse concludendum nobis est[2]), quorum enumerandi sunt:

Δοῦλος Eubuli (K II p. 175, fr. 32),
Λευκαδία ἢ Δραπέται Alexidis (K II p. 344),
Δραπεταγωγός Antiphanis (K II 46, fr. 87),
Ψευδοστιγματίας Nicostrati (K II 227, fr. 26),
Σύρος Nicostrati (II 226, fr. 24),
Ἀργυρίου ἀφανισμός Antiphanis (II 26, fr. 39),
— vel Epigenis (cf. II 416),
— Philippidis (III 309, fr. 9).

Primas egit partes servus nequam Antiphanis in fabula, quae erat inscripta Δύσπρατος (K II 47). Quam fabulam imitatus est Epicrates, cuius fabulae versus nonnullos, quos dicit minister quidam, Athenaeus nobis conservavit, apud quem legimus (VI 262 D, II 83 = K II 284 fr. 5): Ἐπικράτης δ' ἐν Δυσπράτῳ ἀγανακτοῦντα ποιεῖ τινα τῶν οἰκετῶν καὶ λέγοντα·

τί γὰρ
ἔχθιον ἢ 'παῖ παῖ' καλεῖσθαι παρὰ πότον,
καὶ ταῦτ' ἀγενείῳ μειρακυλλίῳ τινί,
ἢ τὴν ἀμίδα φέρειν, ὁρᾶν τε κείμενα
ἄμητας ἡμιβρῶτας ὀρνίθειά τε,
ὧν οὐδὲ λειφθέντων θέμις δούλῳ φαγεῖν,
ὥς φασιν αἱ γυναῖκες. ὃ δὲ χολᾶν ποιεῖ,
γάστριν καλοῦσι καὶ λάμυρον ὃς ἂν φάγῃ
ἡμῶν τι τούτων.

Quos versus servum condicione sua non contentum et edacem dicere apparet.

---
1) cf. Leo, Plautin. Forschungen² 1912 p. 194 sq.
2) cf. Legrand. Daos p. 261, 263

Cum domino servum colloquentem facit Nicostratus in scaena ni fallor admodum ridicula (fr. 15, K II 223).

Maioris momenti est Alexidis fragmentum, quod Athenaeus Sotionem Alexandrinum secutus affert verbis (VIII 336 D sqq., II 239 sq. = K II 306, fr. 25): Ἀλέξις ἐν Ἀσωτοδιδασκάλῳ . . . ὁ δὲ Σωτίων φησὶν ἐν τῷ δράματι Ξανθίαν τινὰ οἰκέτην πεποιῆσθαι προτρεπόμενον ἐπὶ ἡδυπάθειαν ὁμοδούλους ἑαυτοῦ καὶ λέγοντα.

τί ταῦτα ληρεῖς, φληναφῶν ἄνω κάτω
Λύκειον, Ἀκαδήμειαν Ὠδείου πύλας,
λήρους σοφιστῶν; οὐδὲ ἓν τούτων καλόν.
πίνωμεν, ἐμπίνωμεν, ὦ Σίκων, Σίκων,
χαίρωμεν, ἕως ἔνεστι τὴν ψυχὴν τρέφειν.
τύρβαζε, Μάνη. γαστρὸς οὐδὲν ἥδιον.
αὕτη πατήρ σοι καὶ πάλιν μήτηρ μόνη.
ἀρεταὶ δὲ πρεσβεῖαί τε καὶ στρατηγίαι
κόμποι κενοὶ ψοφοῦσιν ἀντ' ὀνειράτων.
ψύξει σε δαίμων τῷ πεπρωμένῳ χρόνῳ·
ἕξεις δ' ὅσ' ἂν φάγῃς τε καὶ πίῃς μόνα,
σποδὸς δὲ τἆλλα, Περικλέης, Κόδρος, Κίμων.

Xanthias hic similiter atque Cario Pluti nihil petendum esse dicit nisi voluptates corporis. Etiam sermone servi ingenium depictum esse animadvertit Kockius, qui ad verbum ψύξει adnotavit: 'servi inpudentis ingenio aptissimum'.

Dominum cum servo colloquentem et mandatis datis eum admonentem in scaenam produxit Mnesimachus in fragmento perlongo, quod ad nostram rem minus pertinet (K II 437 fr. 4).

Antiphanes servum scurrilem in modum philosophantem inducit (fr. 86, K II 46):

οὐδεὶς πώποτε,
ὦ δέσποτ', ἀπέθαν' ἀποθανεῖν πρόθυμος ὤν,
τοὺς γλιχομένους δὲ ζῆν κατασπᾷ τοῦ σκέλους
ἄκοντας ὁ Χάρων ἐπὶ τὸ πορθμεῖόν τ' ἄγει
σιτιζομένους καὶ πάντ' ἔχοντας ἀφθόνως.
ὁ δὲ λιμός ἐστιν ἀθανασίας φάρμακον.

Servum autem fidelem Theophili invenimus in fragmento primo (K II 473):

καί τοι τί φημι καὶ τί δρᾶν βουλεύομαι;
προδοὺς ἀπιέναι τὸν ἀγαπητὸν δεσπότην,

τὸν τροφέα, τὸν σωτῆρα, δι' ὃν εἶδον νόμους
Ἕλληνας, ἔμαθον γράμματ', ἐμυήθην θεοῖς;

Caput II.

§ 1.

Mediae comoediae poetarum artem auxerunt ac variaverunt novae comoediae poetae, quorum princeps est Menander. Sed priusquam de servis Menandreis disseremus, quaerendum nobis erit, quibus fabulis, scaenis, fragmentis ad partes eorum describendas uti liceat. Maximi autem pretii sunt papyri in Aegypto aliquot annis ante inventae, quibus nobis scaenae, eaeque plerumque inter se cohaerentes, nonnullarum fabularum Menandri illustrium redditae sunt. — Praeterea fragmentis a scriptoribus antiquis conservatis haud raro nobis utendum erit.

§ 2.

Neque comici Romani, qui fabulas Menandri Latine verterunt, nobis neglegendi sunt. Terentium quattuor fabulas, Adelphos, Andriam, Eunuchum, Heautontimorumenon a Menandro vertisse inter omnes constat, Plauti Bacchides, Cistellariam, Stichum a Menandro expressas esse demonstratum est. Quamquam Plautus fortasse secutus est Menandrum etiam aliis in fabulis, velut in Aulularia[1]), tamen eas, quod res admodum dubia est, a quaestione nostra amovebimus. Praeter fabulas Plautinas et Terentianas afferendi sunt loci aliquot reliquorum comicorum Romanorum veluti Caecilii.

§ 3.

Quae ratio intercedat inter fabulas Romanas et exempla Graeca, omnibus notum est. Vel ex eo, quod actores Graecis induti erant vestibus, spectatores vitam et mores populi peregrini depingi intellegebant: res et instituta Graeca a poetis palliatarum reddita esse postea inveniemus. Cum de iure et

1) cf. Leo, Pl. F.² p. 122 adn. 3.

de causis singularum fabularum actum esset, apud poetas Romanos multis in fabulis ius Graecum inesse demonstratum est[1]), etsi apud Plautum nonnunquam res incerta est et discerni vix potest, utrum iure Graeco an Romano usus sit[2]).

Terentius accuratius fabulas Graecas se expressisse dicit Adelphorum prol. v. 6 sqq.:

'Synápothnescontes Díphili comoédiast:
Eam Cómmorientis Plaútus fecit fábulam.
In Graéca adulescens ést, qui lenoni éripit
Metrícem in prima fábula: eum Plautús locum
Relíquit integrum. eum híc locum sumpsít sibi
In Adélphos, verbum dé verbo expressum éxtulit.'

Neque tamen haec verba, quamquam quae fides Terentii fuerit in exemplis Graecis convertendis ex iis cognosci potest, premere possumus, quod poeta hoc prologo contra adversarios 'malivolos' (15), quos aliis locis ipse propter 'obscuram diligentiam' (Andr. prol. 21) vituperat, sese defendit. Sed melius res Graecas reddidit, veluti leges Graecas et Romanas non 'miscuit sed Graecam legem ipsam spectat Phorm. 125 sq.:

'Lex ést ut orbae, quí sint genere próxumi,
Eis núbant, et illos dúcere eadem haec léx iubet'[3]).

et rarius instituta et mores Romanos Graecis addidit diligentius expressis. Hoc ea quoque ex re intellegi potest, quod Terentii fabulae minus probabantur spectatoribus Romanis, qui munus gladiatorum comoediae Terentianae anteferebant (cf. Hecyrae prol. alt. 21 sqq.). Nos autem eadem de causa saepe maiorem fructum capere possumus ex fabulis Terentianis quam ex Plautinis.

Poetae Romani nonnunquam res Graecas omiserunt, quod eas a spectatoribus Romanis alienas esse putabant[4]). Multo

---

1) cf. Legrand, Daos p. 50 sqq. et O. Fredershausen, De iure Plautino et Terentiano, cap I Gotting. 1906, cap. II Herm. XLVII 1912 p. 199 sqq., Leo, Pl. F.² p. 123 sqq.

2) cf. Dareste, Le Persan de Plaute, Mélanges Henri Weil, Paris. 1898 p 107 sqq., J. Partsch, Römisches und griechisches Recht in Plautus Persa, Herm. XLV 1910 p. 595.

3) cf. Fredersh., Herm. XLVII p. 217 sq.

4) cf. Legrand, Daos p. 53.

autem maioris momenti est, si ab iis etiam partes personarum Graecarum oppressas esse probatur, quod Legrandius in partibus coqui factum esse existimat (ib.). Apud novae comoediae poetas magnas fuisse partes coqui Hermogenis rhetoris inest in verbis (Περὶ ἰδεῶν B, p. 323, 23 sqq. R.): παρά τε αὖ τῷ Μενάνδρῳ μυρία ἂν εὕροις τοιαῦτα καὶ γυναῖκας λεγούσας καὶ νεανίσκους ἐρῶντας καὶ μαγείρους καί τινας ἄλλους, neque modo in fragmentis Menandri (cf. K III 39 fr. 130, p. 78 fr. 272, 82 fr. 292, 148 fr. 518, 132 fr. 462), Philemonis (K II 482 fr. 13, p. 488 fr. 41, 493 fr. 60, 500 fr. 79, 517 fr. 123), Diphili (K II 545 fr. 17, 546 fr. 18, 553 sqq. fr. 43), Posidippi (K III 342 fr. 23, 26; 344 fr. 27), sed etiam in scaenis repertis, in Samiae v. 68—80 (p. 47 K^2 = 57 sq. S^2) Epitrepontum fr. 1—4, 6 (K^2 p. 42 sq. = fr. 1—5 S^2 p. 3) inveniuntur. Apud Terentium coqui non prodeunt neque apud Plautum partes eorum maiores sunt nisi duabus in fabulis, in Pseudolo (790—904) et in Aulularia (327—362, 371—459), minores sunt aliis in fabulis, in Casina (aliquot verba dicit in v. 720—758, quos e fabula Graeca sumptos esse vel ex sermone apparet), Curculione (251—273), Menaechmis (219—225, 273—350 sermoni interest), Mercatore (741—802). — Sed his ex locis mea quidem sententia poetas Romanos partes fabularum Graecarum diligenter conservasse probatur. Neque enim apud comicos Graecos coqui partes tantae sunt, quantas eas esse Legrandius putat, si magnum numerum fabularum novae comoediae respicimus, ex quibus Athenaeus res ad convivia pertinentes magna diligentia exscripsit. Terentii autem sex fabulae diem tulerunt, quattuor a Menandro duae ab Apollodoro expressae; ex his duabus nihil colligi potest, quod Apollodorus in partibus et moribus aliquanto differt a plerisque poetis comicis (cf. infra Cap. V 4). Neque in reliquis partes coqui oppressas esse concludi potest, quod hac de re neque in prologis, in quibus poeta de ratione sua fabulas convertendi saepius loquitur, neqne apud Donatum, cuius commentarium ad Adelphos, Andriam, Eunuchum habemus et qui locos ab exemplis Graecis paulo diversos adnotavit, quicquam dictum est. Apud Plautum partes coqui maiores sunt quam ex verbis Legrandii cognosci potest. Praeterea Plauto ne causa quidem erat, cur personam illam scurrilem oppprimeret. Itaque coqui persona apud poetas

Graecos et in fabulis Romanis comparata poetas Romanos, quod ad quaestionem nostram maximi momenti est, etiam in partibus secundis satis accurate exempla Graeca expressisse apparet.

Partes secundarias a comicis Romanis 'excultas, fortasse etiam inventas' esse demonstrare studuit C. Weissmann, qui 'servi currentis figuram comicorum Romanorum esse propriam' contendit[1]). Qua de re, cum et ad nostram quaestionem ipsam et ad partes Pinacii in Sticho Plautina pertineat, iudicandum nobis est. Partes ipsas descripserunt Weissmannius[2]) et Schildius[3]). Sed contra interpretationem Weissmannii multa argumenta proferenda sunt. Epidici Plautinae in scaena 192 sqq. verbis Epidici (198 sqq.):

'Pér medicinas, pér tonstrinas, ín gymnasio atque ín foro,
Pér myropolia ét lanienas círcumque argentárias.'

res Graecae spectantur, quam rem animadvertit Legrandius[4]), Weissmannius in interpretatione huius scaenae[5]) nullo verbo tetigit, et, cum tales res a Plauto ipso additae non sint, ad exemplum Graecum et versus et servi currentis partes redire verisimile est. Praeterea ex ea re, quod servus currens inter personas novae comoediae usitatas et primo loco nominatur a Terentio (Heaut. 37 sqq.):

'Ne sémper servos cúrrens, iratús senex,
Edáx parasitus, sýcophanta autem inpudens,
Avárus leno adsídue agendi sínt mihi
Clamóre summo, cúm labore máxumo[6]).'

et Eunuchi in prol. v. 35 sqq.:

'Quod sí personis ísdem huic uti nón licet:
Qui mágis licet curréntem servom scríbere,
Bonás matronas fácere, meretricés malas,
Parasítum edacem, glóriosum mílitem,
Puerúm supponi, fálli per servóm senem,
Amáre, odisse, súspicari?'

1) l. s. s. p. 47. 2) l. s. s. p. 7—42. 3) l. s. s. p. 56 sqq.
4) Daos p. 430 adn. 5. 5) l. s. s. p. 14 sq.
6) cf. Fr. Marx, Zur Geschichte der Barmherzigkeit im Abendlande, Bonnae 1918, p. 14 adn. 26 et 27.

eum quoque personam comoediae Atticae fuisse concludere possumus. Maximi autem momenti est servum currentem productum esse a Luscio Lanuvino, aemulo Terentii, quod Heautontimorumeni intellegimus ex versibus prologi 30 sqq.:

'— ne ille pró se dictum exístumet
Qui núper fecit sérvo currenti ín via
Decésse populum: quór insano sérviat?'

Quae verba Fabia interpretatus est et alii eum secuti sunt[1]). Poeta vetus servum currentem produxerat et cives ei de via decedentes fecerat, quod spectatoribus Romanis displicebat. Luscius autem, criticus ille severus, Terentio vitio dabat, quod 'multas contaminaverit Graecas, dum faciat paucas Latinas' (ib. 17 sq.), et a Terentio 'obscura diligentia' eius commemoratur (Andr. prol. 21), quibus ex rebus eum ipsum exempla Graeca satis fideliter expressisse colligi potest. Quod minime fecisset, si scaenam spectatoribus Romanis tam insolentem exemplari Graeco addidisset. — Denique fragmentum comici Graeci repertum est, quod frustulum est ex scaena, qua servus currens introducitur (Schroeder. p. 16 sq.):

(Στρόβιλος) νό[μι]ζε Λά[μπ]ιδος τρέχειν Ὀλύμπια·
ἐὰν δ[ι]αφύγ[η]ς, εὐτυχὴς ἄνθρωπος εἶ.
(Νεανίας) ὦ Ἡράκλεις, τί ποτ' ἐστὶ τὸ γεγενημένον;
(Στρόβ.) νῦν οἶδ' ἀκριβῶς, διότι τῆς οἰκουμένης
ἱερὰ σαφῶς αὕτη 'στὶν ἡ χώρα μόνη,
κἀνθάδε κατ[ω]ικήκασι πάντες οἱ θεοί,
καὶ νῦν ἔτ' εἰσὶ καὶ γεγόνασιν ἐνθάδε.
(Νεαν.) Στρόβιλε. (Στρόβ.) Ἄπολλον καὶ θεοί, τοῦ πνεύματος.
(Νεαν.) παῖ δυστυχές, Στ⟨ρ⟩όβιλε. (Στροβ.) τίς κέκ[λη]κέ μ[ε];
(Νεαν.) ἐγώ (Στροβ.) σὺ δ' εἶ τίς; ὦ κράτιστε τῶν θ[εῶ]ν,
ὡς εἰς καλ[όν] σ' ἑόρα[κ]α. (Νεαν.) τί σ]ὺ βοᾷς ἔχων;

. . . .

Quod negat Weissmannius[2]) et Leonem sequitur, qui fragmentum alia ratione interpretatus est[3]). Neque mihi verisimile esse videtur, quod adfirmavit Leo, versus 50—54 ab adu-

1) Les prologues de Térence, diss. Paris. 1888, p. 271 sqq., Schild, l. s. s. p. 60.

2) l. s. s. p. 46. 3) Herm. XLI 1906, p. 631 sq.

lescente uno tenore proferri ita, ut servus exclamet: Ἄπολλον καὶ θεοί, τοῦ πνεύματος. Qua in interpretatione minime intellegimus, cur adulescens eum alloquatur: παῖ δυστυχές, Στρόβιλε. Aliter autem Schroederus[1]) et Schildius[2]) et recte, ni fallor, fragmentum interpretantur et Strobilum servum currentem esse contendunt. — Itaque hac in scaena servum currentem esse minime negandum est et hanc personam iam in comoedia Graeca usitatam fuisse efficitur.

Sed praeter res et instituta Graecorum res Romanae in fabulis palliatis ita sunt crebrae, ut exempla ubique inveniri possint[3]). Itaque nobis semper quaerendum est, quantum Plautus et Terentius in rebus et moribus singulis depingendis Graeca exempla secuti sint. Saepe, ut hoc exemplo ad quaestionem nostram idoneo utar, poetae Romani servorum de suppliciis et castigationibus loquuntur. Supplicium apud Romanos frequens erat crux, quam Plautus commemorat Mil. 183 sq.:

'— nísi quidem illa nós volt qui serví sumus
Própter amorem suom ómnis crucibus cóntubernalís dari'.

359 sq.: 'Credo égo istoc exempló tibi esse péreundum extra [pórtam,
Dispéssis manibus pátibulum quom habebis.'

372: 'Nolí minitari: scío crucem futúram mihi sepúlcrum.'

Most. 55 sqq.: 'O cárnufic⟨i⟩um críbrum, quod credó fore:
Ita té forabunt pátibulatum pér vias
† Stimulis, si huc reveniát senex.'

Apud Terentium quoque crucis supplicium commemoratur Andr. 621: '(Pa.) quid meritú's? (Da.) crucem.'

Phorm. 543 sq.:

'Nón triumpho, ex núptiis tuis sí nil nanciscór mali,
Ni étiam nunc me huius caúsa quaerere ín malo iubeás crucem?'

Tamen tales res apud Terentium rarius inveniuntur neque saepe poeta iis utitur ad risum spectatoribus movendum. Quo ex exemplo et Plautum et Terentium Romanos mores Graecis addidisse apparet[4]), neque enim Athenis servum nisi iudicio

---

1) p. 13. 2) p. 61.

3) cf. Legrand, Daos p. 44 sqq.; Regel, Terenz im Verhältnis zu seinen griechischen Originalen, Wetzlar 1884, p. 12, 13 sq.

4) cf. Fredershausen, l. s. s. p. 20 sq.

damnatum necare licebat[1]), sed crucis supplicium Plauti in fabulis saepissime commemoratum abhorrere a moribus Atticis atque tales scaenas ad mores Romanos referendas esse constat. Qua de re dicit Fredershausenius[2]): 'Certe in toto hoc genere partes servorum a Plauto ad Romanorum rationem adaptatas esse iure aestimatur.' — Tamen, quod nihil nisi scaenae aliquot et fragmenta novae comoediae nobis conservata sunt, summa cum cautione nobis iudicandum est, quod exemplo simili demonstrari potest: Saepe timent servi Plautini, ne in pistrinum mittantur. Quodcum apud comicos Graecos nihil simile exstabat, Plautum, qui ipse apud pistorem laboravisse traditur, Romanum institutum his locis nobis descripsisse concludi potest. Tamen etiam apud Thucydidem commemorantur μυλῶνες (VI 22) et nunc legimus in scaena fabulae Περικειρομένη inscriptae (87 sq. S^2 p. 37 = K^2 p. 67):

ἆρα τὸ μυλωθρεῖν κράτιστον; (Δ.) εἰς μυλῶν[α; (Μ.) προσδοκᾷ
οὑτοσ⟨ὶ⟩ φερόμενος ἥξειν. (Δ.) μὴ δ[οκῶ] τέχνη[ς ἐρᾶν;

et Her. 1 sqq.: (S^2 p. 69 sq. = K^2 p. 2):

ΓΕΤ' Κακόν τι, Δᾶέ, μοι δοκεῖς πεποηκέναι
παμμέγεθες, εἶτα προσδοκῶν ἀγωνιᾶν
μυλῶνα σαυτῷ καὶ πέδας, εὔδηλος εἶ.

Apud Plautum mores Romani et Graeci miscentur et est apud eum, ut Legrandii verbis utar[3]): 'une indifférence à la couleur locale.' Versibus Graecis Plautus suas ipsius facetias addidit, cuius rei optimum exemplum affert Leo[4]), qui in Captivis Plautum in verbis parasiti (69 sqq.) primo poetam Graecum secutum esse, deinde ipsum iocos addidisse demonstrat. Omnino res et mores Romanos plerumque Graecis addidit et cum iis miscuit neque pro iis substituit[5]). Ex ingenio atque arte Plauti et versus cum elegantia sermonis dictos et res atque instituta sine dubio Graeca semper a poeta Graeco profecta esse nobis concludendum est[6]).

1) Schoemann, Griech. Altert. I^3 370 et adn. 3.
2) l. s. s. p. 21.
3) Daos p. 58. 4) Pl. $F.^2$ p. 106.
5) cf. Croiset, Histoire de la littérature grecque, Paris. 1899 [2] III p. 614.
6) De ratione, qua res Graecae et Romanae secernendae sunt, cf. Leo, Pl. $F.^2$ p. 110 sqq. et Legrand, Daos p. 58, 60.

Aliter autem res se habet, si Plautus ipse fabulas et argumenta Graeca auxit, quod neque saepe fecisse videtur neque facile demonstrari potest[1]). Tamen unum exemplum afferendum est hoc loco, quod a Plauto etiam tota scaena inventa est. In Mercatore enim Rudentis scaenam (593 sqq.) eum imitatum esse et versus, quibus Demipho somnium narrat (225 sqq.), ipsum fecisse luculenter demonstravit Marxius[2]).

Ad nostram quaestionem etiam maioris momenti est quaerere, num poeta Romanus ingenium et mores personarum mutaverit fabularum Graecarum. Plerumque poetae Romani Graecos in moribus describendis satis diligenter secuti esse videntur[3]), sed nonnunquam rem aliter se habere verisimile est. Quamquam etiam poetae Graeci vitia hominum auxerunt ridiculum in modum, velut Menander avaritiam Smicrinis[4]), tamen natura et mores personae semper sibi constant. Sed in Trinummo Plautina Stasimus servus et fidelis est et fraudulentus atque fur, quod servi ipsius ex verbis apparet, si comparamus v. 617 sqq.:

'O' ere Charmidé⟨s⟩, quom apsenti [te] hic túa res distrabitúr tibi,
U'tinam te redísse salvom vídeam, ut inimicós tuos
U'lciscar⟨e⟩ et míhi, ut erga te fúi et sum, referas grátiam.
Nímium difficilést reperiri [in] amícum ita ut nomén cluet,
Quoí tuam quom rém cre⟨di⟩deris, síne omni cura dórmias.'
(cf. 527 sqq., 1068 sqq.)

cum scaena, ubi Lesbonicus ex servo quaerit, quid argento factum sit (402 sqq.) et verbis (413):

'(St.) Quid, quód ego † defrudavi? (Le.) Em, istaec ratio máxumast.'

et verbis (727 sq.):

'Ad forum ibo: núdius sextus quoí talentum mútuom
Dédi reposcam, ut hábeam mecum quód feram viáticum.'

---

1) cf. Legrand, Daos p. 358.

2) Ein Stück unabhängiger Poesie des Plautus, Sitzungsber. d. k. Akad. d. Wiss. philol.-hist. Kl., CXL, fasc. 8, Vindob. 1899. Contradixit et utramque scaenam ex exemplari Graeco sumptam esse contendit Leo, Pl. F.² p. 162 sqq.

3) cf. Legrand, Daos p. 309 sqq.

4) cf. K II p. 37: Σμικρίνης δὲ φιλαργύρους ⟨ἐποίησεν εἶναι⟩, ὁ δεδιὼς μή τι τῶν ἔνδον ὁ καπνὸς οἴχοιτο φέρων.

Quas discrepantias multi animadverterunt et alius aliter explicare studuit. Dietzius rem ita explicavit[1]: 'Ioci enim causa (i. v. 413) eundem servum fidelem et fraudulentum fecit.' Recte autem mihi res a Leone explanata esse videtur[2], qui hos versus moribus servi fidelis minime aptos non a Philemone sed a Plauto factos esse confirmat. Quod quamquam demonstrari non potest, tamen maxime mihi esse verisimile videtur; nam in fragmentis Menandreis nuper repertis mores servorum, quod infra videbimus, maxima veritate et constantia descripti sunt. Etsi non omnia, quae de Menandro dicenda sunt, de Philemone dici possunt, tamen Philemonem ab aequali et aemulo tantopere abhorruisse in moribus describendis verisimile esse nego. — Similiter res se habet in Rudente, ubi Trachalio, servus domino fidelis, a Gripo non cistellam, in qua crepundia puellae insunt, accipere sed cum eo praedam dividere vult (cf. 958 sqq., 1011), quae verba postea apud Daemonem aliter interpretatur (cf. 1077 sqq., 1085, 1119 sqq.)[3].

Praeterea Terentius alio modo ac Plautus fabulas Graecas variavit, quod non res spectatoribus Romanis gratas addidit, sed, quas vertebat fabulas, meliores facere studebat. Qua de re accuratius quaesivit Fabia, qui ex Adelphis compluria exempla affert[4]. Quaerentibus omnibus de fide, qua Terentius exempla Graeca reddiderit, maximo usui sunt liber Donati et prologi ipsi fabularum, in quibus poeta saepe de arte, artificiis, ratione qua verterit exempla Graeca, certiores nos facit. Terentio inimici, imprimis poeta vetus, Luscius Lanuvinus, quamquam ab illo argumenta ipsa fabularum variata non sunt, sed scaenae et partes aliis ex fabulis sumptae et additae sunt, tamen fabulas contaminatas esse vitio dabant. Terentius in contaminatione quae appellatur fabularum multo cautior et diligentior est, quam ex verbis inimicorum eius apparet, et tam sollers, ut nos quidem scaenas altera ex fabula sumptas discernere vix possimus, nisi poeta ipse in prologis eas in-

---

1) De Philemone comico, diss. Gotting. 1901, p. 47 adn. 1.
2) Röm. Lit. 1913, p. 117 et adn. 2.
3) Leo, ib. p. 118 et adn. 3.
4) l. s. s. p. 214 sqq.

dicavisset[1]). Vocem contaminandi ipsam nihil aliud significare nisi »polluere et foedare« evicit Guil. Meyer[2]), qui locos, quibus Terentius hac ab adversariorum criminatione se defendit, recte interpretatus est. — Idem de moribus personarum Terentii dicendum est, quod infra melius intellegemus. In moribus describendis Graecos imitatus est atque expressit. Quod Varronis ex verbis intellegitur, apud quem de arte Terentii legimus (in Sat. Men. 399 Buech.[5] p. 226): 'In quibus partibus in argumentis Caecilius poscit palmam, in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus.' Donatus nonnunquam Terentium in moribus describendis abhorruisse dicit a fabula Graeca, quae differentiae neque graves sunt neque graviores apud Terentium exstitisse nobis concludendum est in comoediis, de quibus Donati scriptum habemus commentarium, quod Donatus eas silentio praetermittere non potuerit. — Prima scaena Andriae Terentianae senex cum Sosia liberto colloquitur, qui propter fidem a domino manumissus est. Nobis autem de origine partium Sosiae quaerentibus Donati verba afferenda sunt, qui ad versum prologi 4 adscripsit (I p. 45, 19 sqq. W.): '»Fatetur transtulisse«. sed quare ergo se onerat Terentius, cum possit videri de una transtulisse? sic solvitur: quia conscius sibi est primam scaenam de Perinthia esse translatam, ubi senex ita cum uxore loquitur, ut apud Terentium cum liberto. at in Andria Menandri solus est senex.' Quibus verbis efficitur hanc scaenam ita, ut apud Terentium exstat, neque in Andria neque in Perinthia Menandri fuisse. Nam si Andriam imitabatur, partes liberti inveniendae ei erant totae, si Perinthiam, ex partibus uxoris rescribendae et variandae. Unde Terentium Sosia ipso ad res narrandas inducto a Menandro abhorruisse apparet. A Terentio libertum, ut ipse his partibus patrono suo nobili gratias agere posset, in scaenam productum esse scite coniecit Fel. Jacoby[3]).

Multo difficilius sed maximi momenti est quaerere, num Plautus fabulas Graecas contaminaverit et qua ratione id fe-

---

1) cf. Guil. Walther, De contaminationis apud Plautum et Terentium diversa ratione, diss. Jen. 1910 p. 47 sqq.

2) Quaest. Terent., diss. Lips. 1902 p. 14 sqq.

3) Herm. XLIV 1909, p. 362 sqq.

cerit. Qua de re alius aliter iudicavit. Multas fabulas a Plauto contaminatas et ex duabus fabulis Graecis unam Latinam factam esse affirmaverat Ladewigius [1]). Cui paulo post contradixit Teuffelius, quamquam opinionem suam, quam dixit verbis [2]): „Überhaupt scheint es mir, als ob die Bedeutung des Kontaminierens mannigfach sehr überschätzt worden wäre, namentlich durch Ladewig . . . .," argumentis non probavit. Contra aliquot annis ante Leo, cuius magna erat et est adhuc auctoritas in rebus comicis, Plautum haud raro contaminasse et probare et rationem contaminandi Plautinam exponere studuit [3]). Simili modo, ut alios omittam, 'de contaminationis apud Plautum et Terentium diversa ratione' disseruit Guil. Walther, qui Plautum alia ratione atque Terentium fabulas Graecas contaminasse et ex duabus Graecis unam Latinam fecisse et Militem gloriosum, Poenulum, Pseudolum hoc modo ortas esse pro certo habet [4]). At Suessius aliter iudicavit, hic quoque certis argumentis non allatis [5]): 'Von der vorgefassten Meinung einer klassisch-organischen Struktur der νέα hat man bei der Analyse der plautinischen Komödie allzu reichlich von der Hypothese einer die Fäden verwirrenden Kontamination Gebrauch gemacht. In Wirklichkeit gestattet uns auch der ungünstige Stand der Überlieferung, in diesen Fällen vielmehr Zeugen eines überaus interessanten Übergangsprozesses wahrzunehmen.' Hanc opinionem accuratius demonstrare studuit W. Schwering in commentatione propter mortem eius praematuram non plane elaborata et in Ilbergii novis annalibus edita [6]). Prima parte ex verbis grammaticorum veluti Donati ex scholio ad Andriae Terentianae versum 959 scripto (I 258, 11 sqq. W.: 'hanc sententiam totam Menandri de Eunucho

---

1) Pauly, Real-Enzyklop. V p. 1730 sqq.

2) Studien und Charakteristiken, Lips. 1871 p. 256 sq.

3) Pl. F.² p. 168 de Casina, 168 sq. de Sticho, 170 sqq. de Poenulo, 178 sqq. de Milite, in commentatione de Sticho scripta, Nachricht. d. K. Ges. d. Wiss. zu Göttingen, phil.-hist. Kl. 1902 p. 375 sqq. Röm. Lit. p. 130 de Milite, Poenulo, 131 sq. de Pseudolo, Amphitruone, Epidico.

4) l. s. s. p. 4—46.

5) Rhein. Mus. LXV 1910 (Zwei Bemerkungen zur Technik der Komödie 441 sqq.) p. 460.

6) l. s. s. p. 169 sqq.

transtulit. et hoc est quod dicitur: »contaminari non decere fabulas.«') et ex locis, quibus scriptores antiqui verbo contaminandi utuntur, fabulam paululum mutatam neque fabulam ex duabus Graecis factam contaminatam nominari ostendit. Secunda parte egit de argumentis fabularum, quae contaminatae esse dicuntur, neque eas ex duabus Graecis ortas esse demonstrari posse putat neque causam esse, cur Plautus alia ratione atque Terentius fabulas contaminaverit. Idem iam in scholis docuerat Frider. Marx et eandem opinionem eodem anno exposuit Prescottius[1]) neque aliter iudicavit Br. Prehn[2]). Nobis autem Suessius, Schweringius, Prescottius, Prehnius optimo iure de multis fabulis contaminatis dubitavisse videntur. Quod critici illi velut Leo novam comoediam satis perfectam et magna arte excultam esse putabant, inde opinionem illam ortam esse recte intellexit Suessius, qui ipse, cum eam ab antiqua comoedia originem ducere putet, ea, quae inter se repugnant in argumentis fabularum, non miratur. Neque mihi ratio eorum recta esse videtur, qui, quamquam nova comoedia ipsa nobis nota non est neque de arte poetarum Graecorum certo iudicare possumus, tamen comoedias Latinas, in quibus discrepantiae insunt, ad duas Graecas revocant. Praeterea quaestionibus Meyeri (cf. p. 42) et Schweringii demonstratum esse mihi videtur non hanc vim inesse in verbo contaminandi et ex testimoniis et versibus Terentianis ipsis contaminationis rationem Plautinam eandem fuisse effici atque Terentianam. Schweringius de argumentis quoque fabularum, quae contaminatae esse dicuntur, ipsis quaesivit neque contaminationem earum demonstrari posse suo iure confirmavit.

De contaminatione Plautina agendum nobis erat propter Stichum et Bacchides. Stichum ex tribus partibus constare (I. 1—401, II. 402—640, III. 641—775) et ex tribus exemplaribus Graecis factam esse contendit Leo[3]), quem Legrandius[4]), Schildius[5]), alii secuti sunt. Aliam opinionem exposuerat Teuffelius[6]), qui potationem servorum a Plauto pro

1) Classical philology, XI p. 125 sqq.: The interpretation of Roman comedy.

2) l. s. s. p. 32 adn. 2.

3) commentatione supra p. 43 adn. 3 allata.

4) Daos p. 377 sq., 388. 5) l. s. s. p. 51. 6) l. s. s. p. 277 sqq.

potatione dominorum substitutam esse putat, et similiter de Sticho iudicant Langenius [1]) et Schanzius [2]). At contaminationem factam esse primum negavit, argumenta quamquam non attulit, Suessius, apud quem legimus [3]): 'Die Annahme einer Kontamination ist weder nötig, noch auch überdies wahrscheinlich, wenn es gelingt, der Komposition dieses älteren menandrischen Stückes die rechte Stelle zu geben,' et potationem servorum et voces ad comoediam Graecam revocat et tales scaenas ab antiqua comoedia originem ducere putat [4]). Post eum Schweringius in commentatione supra allata Stichum contaminatam esse negat sed simili modo atque comoediam antiquam compositam esse ostendit, quod altera pars ἀγών, altera κῶμος est [5]): 'Den Abschluss des Stückes bildet ein Fest- und Zechgelage der Sklaven und Sklavinnen, also ein Stück ohne Intrige, in dem die witzige Unterhaltung und scharfe Zeichnung der Charaktere den Hauptreiz ausmachen, und das, mit dem Komos als Abschluss, der Alten Komödie noch einigermassen nahe zu stehen scheint.' Eandem rem post Prescottium [6]) accuratius demonstrare studuit Prehnius [7]). Singulas fabulae partes, quas Leo ex tribus fabulis Graecis sumptas esse putaverat, non secum pugnare sed inter se cohaerere primum ostendit [8]). Deinde de scaena prima et secunda agit et eis argumentum fabulae Menandreae, quod Leo affirmaverat, praeparari negat propter ingenium Antiphonis, qui 'nolit turbas' [9]). — Quae etsi recte mihi esse dicta videntur, tamen assentiri non possum contendenti initium fabulae et scaenas posteriores ab eodem poeta factas esse ea de causa, quod in utraque parte mores senis iidem sunt; neque enim senes novae comoediae tantopere inter sese differunt, ut mores senis in aliis comoediis semper alii sint. Summam huius quaestionis facit verbis [10]): 'Ex compositione fabulae ipsa non colligi potest Stichum Plautinam contaminatam esse.' Deinde eam rationem secutus, quam Suessius et Schweringius monstraverant, explicare studet, cur Stichus a plerisque fabulis Plautinis et

1) Plautinische Studien, Berol. 1886, p. 218 sq.
2) Röm. Lit. I³ p. 90 sq.
3) l. s. s. p. 452.
4) p. 453.
5) p. 184.
6) l. s. s. p. 156 sqq.
7) l. s. s. p. 51—61.
8) p. 52—56.
9) p. 57—59.
10) p. 60.

Terentianis differat. Stichum maxime Persae similem esse et, quod versibus 490 sq. effici putat, ante annum 317 a Menandro iuvene scriptam esse concludit[1]. — Hac ratione postquam de Sticho quaesitum est, fabulam contaminatam esse confirmari non iam potest. Sed alia quoque argumenta afferri posse mihi videntur. Poetae enim Romani ea de causa fabulam contaminaverunt, ut argumentum eius — veluti Terentius argumentum Eunuchi — augerent. Quae cum ita sint, intellegi non potest, qua de causa Plautus ex tribus exemplaribus Graecis Stichum composuerit ita, ut argumentum eius fere nullum sit sed fabula nihil nisi series sit scaenarum, in quibus multi lepores et sales insunt. Nam hac re Stichus maxime a fabulis reliquis novae comoediae, etiam a Persa, differt neque eo, quod Stichum a Menandro iuvene factam esse probabile est, genus ipsum huius comoediae explicatur. — Etiam de altera fabula, quae contaminata esse dicitur, agendum nobis est, de Bacchidibus Plautina. Post alios, quorum coniecturae satis audaces et infirmae sunt[2], paulo ante Ed. Fraenkel[3] sententiam protulit de contaminatione Bacchidum, quae et videtur verisimilis esse et ab aliis velut Leone[4] probata est. Ille in fabula Plautina tres dolos inesse et tertium dolum, alteram epistulam seni allatam, a Plauto exemplari Graeco, quod erat Δὶς ἐξαπατῶν, additum esse concludit et ex locis aliquot comoediae ipsius demonstrare studet. — Neque tamen verisimile est Plautum tertiae fraudis exemplo Menandreae additae, quam iam antea praeparavit et Chrysalus verbis illis spectat (953):

'I'lio tria fuísse audivi fáta quae illi fórent exitio'

postea ita oblitum esse, ut versu 1090 eam neglegeret:

'Perií: pudet: hoc[c]ine me aétatis ludós bis factum esse índigne?'

Postea Prehnius, qui de compositione Bacchidum quaesivit[5] et locos a Fraenkelio ad sententiam suam probandam allatos interpretatus est, argumenta Fraenkelii examinavit refutavitque et fabulam contaminatam non esse evicit. Idem propter multas

1) p. 60 sq.
2) cf. Prehn, l. s. s. p. 63—66. 3) l. s. s. p. 100 sqq.
4) Röm. Lit. p. 119 sq. 5) l. s. s. p. 66 sqq.

res mythologicas, quae 'mediam comoediam redolent' et versus 911 sq.:

'Satin ést si plura ex me aúdiet hodié mala
Quam audívit umquam Clínia ex Demétrio?'

quos Hueffnerum secutus[1]) ad Demetrium Phalereum spectare putat, exemplum Graecum inter priores Menandri fabulas fuisse concludit[2]).

§ 4.

Alios scriptores, quamquam haud raro Menandrum moribus in describendis secuti sunt, quod semper fere diiudicari non potest, utrum Menandrum an alios novae comoediae poetas imitati sint, non spectabimus aliquot locis exceptis veluti Persii sat. V. v. 161 sqq. infra commemorandis. Nonnulla autem verba dicenda sunt de Luciano et Alciphrone. Lucianum meretricum in dialogis fabulas Menandreas secutum esse iam antiqui adnotaverunt grammatici (cf. scholia in Lucianum ed. Rabe 1906 p. 275: ἰστέον ὡς αὗται πᾶσαι αἱ ἑταῖραι κεκωμῴδηνται καὶ πᾶσι μὲν τοῖς κωμῳδιοποιοῖς, μάλιστα δὲ Μενάνδρῳ, ἀφ' οὗ καὶ πᾶσα αὕτη ἡ ὕλη Λουκιανῷ τῷ προκειμένῳ εὐπόρηται) et nuper de hac quaestione pluribus disseruit Ph. E. Legrand[3]). Sed Legrandius, etsi Lucianum fortasse saepius affert, quam usui est, ipse nos admonet, ne omnia, quae meretricum in dialogis invenimus, ad novam comoediam referamus, exemplo usus dialogo V., in qua mulieres duae de amore Lesbico, qui appellatur, loquuntur, quae res a poetis comicis aliena est[4]). Tamen, quod in partibus et in moribus describendis veluti meretricis[5]), rusticorum[6]), militis gloriosi[7]) Luciano multa cum novae comoediae poetis communia sunt, nobis dialogis meretricum postea nonnunquam utendum erit.

---

1) De Plauti comoediarum exemplis Atticis quaestiones maxime chronologicae, diss. Gotting. 1894, p. 37 sq. 2) p. 69.

3) Les dialogues des courtisanes comparés avec la comédie, Revue des Etudes Grecques, XX, 1907 p. 176 sqq.; XXI, 1908. p. 39 sqq.; cf. Leo Pl. F.² p. 141 sq.

4) cf. Legrand, Daos p. 580.

5) cf. Legrand, Revue XX p. 202. 6) ib. p. 222.

7) ib. p. 226.

Alciphron, qui ipse quoque novam comoediam secutus est, ad nostram quaestionem non magno usui est [1]).

Caput III.

Nunc accedamus ad fabulas et partes servorum, quorum aliquot genera nobis distinguenda sunt.

§ 1.

Papyro Cairensi a Lefeburio invento permulti nobis redditi sunt versus clarissimae Menandri fabulae, quae inscripta est Ἐπιτρέποντες. Qua in fabula duo sunt servi rustici, Davus et Syriscus, qui ambo in scaena illa clarissima, a qua fabula nomen accepit, prodeunt.

Davus inducitur callidus, lucri cupidissimus et dolosus, ius minime curans, quod adversarius ei primis verbis crimini dat. Quamquam rem suam contra Syriscum tueri non potest, tamen satis callidum eum esse negandum non est. Causam suam haud inepte defendit et se superiorem esse confidit. Satis eum confidentem esse ex primis verbis Syrisco factis apparet, nam causae suae iudicium libenter arbitro committit (3 sqq. S^2 p. 7, K^2 p. 9):

Δ. βούλομαι. κρινώμεθα.
Σ. τίς οὖν; Δ. ἐμοὶ μὲν πᾶς ἱκανός· δίκαια δὲ
πάσχω· τί γάρ σοι μετεδίδουν; Σ. τοῦτον λαβεῖν
βούλει κριτήν; Δ. ἀγαθῇ τύχῃ Σ. πρὸς τῶν θεῶν, etc.

Neque rationem sibi reddendam esse dicit (58 sqq.):

μετὰ τῆς γυναικὸς περιτυχών μοι νῦν ἄφνω
τὰ τότε συνεκτεθέντα τούτῳ — μικρὰ δὲ
ἦν ταῦτα καὶ λῆρός τις, οὐθέν — ἀξιοῖ
ἀπολαμβάνειν καὶ δεινὰ πάσχειν φήσ', ὅτι
οὐκ ἀποδίδωμ', αὐτὸς δ' ἔχειν ταῦτ' ἀξιῶ.
ἐγὼ δέ γ' αὐτόν φημι δεῖν ἔχειν χάριν
οὗ μετέλαβεν δεόμενος· εἰ μὴ πάντα δὲ
τούτῳ δίδωμ', οὐκ ἐξετασθῆναί με δεῖ.

1) cf. M. Meiser, Sitzungsber. d. bayr. Akad. d. Wiss., phil.-hist. Kl., 1904 p. 191 sqq.

Quamquam eloquentia adversarii commovetur (19):

◡ – Δ. μετρίῳ γε συμπέπλεγμαι ῥήτορι

tamen rem suam sollerter agit virum probum se esse simulans atque liberalem (70 sqq.):

τὸ πέρας· δέδωκά σοί τι τῶν ἐμῶν ἐ[γώ·
εἰ τοῦτ᾽ ἀρεστόν ἐστί σοι, καὶ νῦν ἔχε·
εἰ δ᾽ οὐκ ἀρέσκει, μετανοεῖς δ᾽, ἀπόδος πά[λιν
καὶ μηδὲν ἀδίκ̣ε[ι] μηδ᾽ ἐλαττοῦ· πάντα δὲ̣
τὰ μὲν παρ᾽ ἑκόντος, τὰ δὲ κατισχύσαντά με
οὐ δεῖ σ᾽ ἔχειν. εἴρηκα τόν γ᾽ ἐμὸν λόγον. —

Sed cum inferior discesserit, confidentia et sollertia eum plane deserunt. Spectatoribus autem risum movet animo perturbato et irritato et frequentia verborum, quibus calamitatem suam commiseratur (141 sqq.):

Δ. δεινή γ᾽ ἡ[κρίσις
νὴ τὸν Δία τὸν σωτῆρ᾽. ἅπανθ᾽ εὑρὼν [ἐγὼ
ἅπαντα περιέσπασμ᾽, ὁ δ᾽ οὐχ εὑρὼν ἔ̣χ̣[ει.

144 sq. Δ. δεινή γ᾽ ἡ κρ[ί̣σις
ἢ μηθὲν ἀγαθόν μοι γένοιτο.

146: Δ. ὦ Ἡράκλεις, ἃ πέπονθα.

150: Δ. αἰ]σχρά γ᾽ ἃ πέπονθα

154 sq.: — — — Δ. [ἀδί]κ[ου π]ρ̣[άγ]ματος.
ὦ Ἡράκλεις, οὐ γέγονε δειν[ο̣τ̣έρα̣] κρί̣σ̣[ι]ς.

Malignum se rursus extremis verbis praebet, quibus carbonarium lucri causa rem infantis egisse insimulat (156 sqq.):

— — — Δ. ὦ πο[ν]ήρ᾽, ὅ̣π̣[ω̣ς̣] σ̣ὺ̣ νῦν
τούτῳ φυλάξεις αὐτ[(ά), ἕως ἂν ἐκτραφ]ῇ.
εὖ ἴσθι, τηρήσω σε π[άν]τ̣α [τὸ]ν [χρό]νον.

Itaque mores Davi, qui propriam habet naturam et singularem, minime iucundam, hac sola ex scaena satis intellegere possumus.

Adversarius eius *Syriscus* est, carbonarius et servorum e numero, qui ruri vitam degunt et domino tributum pendere debent (cf. 160 sqq.), quod ipse in urbem portaturus est. In disceptatione magis rem spectat quam Davus, moderatior est, dignitatem quandam prae se fert, quod optime apparet ex verbis (13 sqq.):

◡ – ◡ Σ. ἀλλ' ὅμως — τὸ πρᾶγμ' ἐστὶν βραχὺ
καὶ ῥᾴδιον μαθεῖν — πάτερ, δὸς τὴν χάριν·
μὴ καταφρον[ήσῃ]ς, πρὸς θεῶν. ἐν παντὶ δεῖ
καιρῷ τὸ δίκ[αι]ον ἐπικρατεῖν ἁπανταχοῦ,
καὶ τὸν παρατυγχάνοντα τούτου τοῦ μέρους
ἔχειν πρόνοιαν κοινόν ἐστι τῷ βίῳ
πάντων.

Omnibus in rebus auctor et princeps est: Syriscus consilium dederat, ut causa arbitrio tertii committeretur, et Syriscus a Smicrine petiverat, ut arbiter fieret. Magna est festinatio eius neque exspectare potest, dum causam dicat (30 sq.). Itaque Smicrines eum admonet, ut taceat, et baculo ei minatur. Sed postquam loqui incepit, magna sollertia causam dicit artibus usus causidicorum (85 sqq.). Davo autem superior discedere potest, quod causam Syrisci iustam esse apparet. Viri probi speciem habet neque talem eum esse negabimus. Causam infantis pro vilitate crepundiorum maiore studio defendit, quam ut sola avaritia eum commotum esse credamus. Humanum eum esse et bonis infantis abstinere confidimus. Rem suam agit constanter et pertinaciter, quod ipse dicit verbis (184 sqq.):

ἀποσφαγείην [π]ρότερον ἂν δήπουθεν ἢ
τούτῳ [τ]ι κ[α]θυφείμην. ἄραρε, δικάσομαι
ἅπασι [κα]θ' ἕνα· π[αι]δίου 'στιν, οὐκ ἐμά. —

Anulum Onesimo credit et ei permittit, ut domino ostendat, quod iure uti vult (193 sqq.). Sed postea, cum Onesimus hoc facere cunctetur, iterum ac saepius, ut anulum ero monstret, ab eo postulat et se ius suum persecuturum esse pronuntiat (240 sqq.): σκόπει

αὐτὸς περὶ τούτων. εἰ δ' ἀνασείεις, ἀπολαβεῖν
τὸ]ν δακτύλιόν με βουλόμενος δοῦναί τε σοὶ
μι]κρόν τι, ληρεῖς· οὐκ ἔνεστιν οὐδὲ ε[ῖ]ς
π]αρ' ἐμοὶ μερισμός.

Fabulis ex tragoediis sumptis libenter utitur ita, ut homo de plebe (103 sqq.):

βλέ]ψον δὲ κἀκεῖ, πάτερ· ἴσως ἔσθ' ο[ὗτο]σὶ
ὁ πα]ῖς ὑπὲρ ἡμᾶς καὶ τραφεὶς ἐν ἐργάταις
ὑπ]ερόψεται ταῦτ', εἰς δὲ τὴν αὑτοῦ φύσιν

ἄ̣ξ]ας ἐλεύθερον τι τολμήσει ποεῖν,
θη]ρᾶν λέοντας, ὅπλα βαστάζειν, τρέχειν
ἐν ἀ]γῶσι. τεθέασαι τραγῳδούς, οἶδ' ὅτι,
κ]αὶ ταῦτα κατέχεις πάντα. Νηλέα τινὰ
Π]ελίαν τ' ἐκείνους εὗρε πρεσβύτης ἀνὴρ
αἰπόλος, ἔχων οἵαν ἐγὼ νῦν διφθέραν. etc.;

neque singulas res recte discernere scit, nam verba illa (107/8) parum scite simul de Hercule et de viro bello insigni et de victore ludorum dicta sunt [1]). — Cum Smicrine, quamquam ipse servus est, ille civis Atheniensis, liberius loquitur, sed reverentia in verbis eius semper inest (cf. πάτερ 14 et 103).

Utrumque servum, et Davum et Syriscum, rusticum esse spectatores vel ex vestibus cognoscere poterant, quod pellibus erant induti [2]).

§ 2.

Multi servi Menandrei fide sunt insignes. Nonnunquam servos invenimus, qui, ero quod fideles sunt, ceteros servos honore praecedunt. Quorum e numero est Parmeno Samiae, Demeae servus, cuius condicio est melior, quod custos quidam est ceterorum servorum, cf. 65 sqq.:
(S² p. 57 = K² p. 47):

ἀλλ' εἰς καλὸν γὰρ τουτον⟨ὶ⟩ π[αρ]όνθ' ὁρῶ
τὸν Παρμένοντ' [ἐ]κ τῆς [ἀγορᾶς· ἐα]τέον
αὐτὸν παραγαγεῖν ἐστι τού[τους ἐκποδών.

Primum eum colloquentem videmus cum coquo. In scaena lepidissima (68 sqq.) multo cum sale et multa cum cavillatione coquum irridet. Alium se praebet in scaena insequenti, in qua cum domino colloquitur. Quamquam nihil peccavit neque incommodi illius causa est, tamen timidus et anxius est. Multis verbis scurrilem in modum se insontem esse confirmaturus est (94 sq.):

μὰ τὸν Διόνυσον, μὰ μὸν 'Απ[ό]λλ[ω, μὰ τὸν Ἄρη,
μὰ τὸν Δία τὸν σωτῆρα, μὰ τὸν 'Α[σκληπιόν —

1) cf. Croiset, Revue des Etudes Grecques XXI p. 259.
2) cf. 12 sq., 111; Varron. rer. rust II 11, 11 ⟨p. 112 ed. Goetz.⟩; Polluc. IV 119 sq.; Legrand, Daos p. 616.

sed Demeas eum interrumpit et cum ei poenas minetur, Parmeno effugit (106 sqq.). Timorem autem celeriter abicit, ubi primum se tutum esse putat et multis verbis, haud sine ioco neque facetiis timorem suum ipse irridet (296—312). In familiaritate quamquam versatur erilis filii, qui libenter adiutore eo utitur (294 sq.), tamen ab eo obiurgatur et vapulat. Sed caritatem erga erilem filium hac ipsa in scaena optime intellegere possumus ex constantia, qua Moschionem, cum rerum ignarus sit, certiorem facere studet (325 sqq.).

Eadem condicione utitur Davus fabulae, quae Γεωργός inscribitur, nam ceteris servis, quibus mandata dat, praeesse videtur (cf. 39 sq. S² p. 81, K² p. 104). Non Myrrhinae servum eum esse intellexerunt Dziatzko[1]) et Kretschmarus[2]), quod ex eo apparet, quod tam insolentem se praebet cum colloquatur cum matrona. Haud scio, an recte iudicaverint Dziatzko[3]) et Kretschmarus[4]), qui Davum servum esse putant patris adulescentis alterius, qui v. 1 sqq. loquitur et Myrrhinae filiam compressit, quod sane pro certo quidem affirmari non potest. Optime mores eius apparent ex nuntio, quem Myrrhinae affert[5]). Primo se eam animadvertere dissimulat et verbis ipsis, quibus eam alloquitur (41 sq.):

Δ ὦ χαῖρε πολλά, Μυρρίνη. (Μ.) ⟨πά⟩νυ καὶ σύ γε.
Δ. οὔ σε καθεώρων, γεννικὴ καὶ κοσμία
γύναι.

ludibrio habet mulierem pauperem. Bono nuntio promisso animum Myrrhinae ad verba sua advertere studet, qua re spem matronae, cui nuntium minime gratum affert, eo magis decipit. Aliquamdiu eum hac ratione illudentem videmus mulierem simplicem et pauperem, cuius perturbatione et angore delectatur. Nuntio sententiam communem adiungit hanc (75 sqq.):

κ]εφάλαιόν ἐστι τοῦτο τοῦ παντὸς λόγου
ἥ]ξ[ο]υσιν ἤδη δεῦρ', ἄπεισιν εἰς ἀγρὸν

1) Rhein. Mus. LIV 1899 p. 509 sqq.

2) „De Menandri reliquiis nuper repertis", diss. Lips. 1906, p. 33 sq.

3) l. s. s. p. 524. 4) l. s. s. p. 55.

5) cf. Wilamowitz. Der Landmann des Menandros, Neue Jahrb. II 1899 p. 521 sq.

αὐτὴ]ν λαβών· παύσεσθ[ε πενίᾳ μα]χόμενοι
δυσνουθετήτῳ [θ]ηρί[ῳ καὶ δυσκόλῳ,
κ]αὶ ταῦ[τ' ἐν] ἄστει· δ[εῖ γὰρ ἢ πλουτεῖ]ν ἴσως
ἢ ζῆν ὅπ[ου] μὴ μ[άρτυρας] τ[ο]ῦ δυστυχεῖν
π[ο]λλούς τις ἕξει τοὺς ὁρῶντας· ἐστὶ δὲ
ἀγρὸ]ς εἰς τὸ τοιοῦτ' εὐκτὸν ἥ τ' ἐρημία.

Postremo verbis (83)

εὐ]αγγελίσασθαι πρ[ό]ς σε ταῦτ' ἐβουλόμην·

cum irrisione dictis breviter eam salutat (84):

ἔρρ]ωσο πολλά.

et a scaena abit. — Itaque hunc servum irrisorem et malignum esse manifestum est. Afferenda autem sunt verba grammatici cuiusdam, quae exstant in tractato Coisliniano (§ 7, C. G. F. ed. Kaibel p. 52)[1]): ἤθη κωμῳδίας τά τε βωμολόχα καὶ τὰ εἰρωνικὰ καὶ τὰ τῶν ἀλαζόνων. Ingenium autem eius, qui εἴρων vocatur, a Menandro optime descriptum esse in Davo Herois ex hoc fragmento comoediae efficitur.

Servorum veterum et ero fidelium in numero est paedagogus probus, cuius mores a Menandro optime illustrantur in Bacchidibus[2]). In initio huius fabulae actus secundi in scaenam prodit Lydus, qui Pistoclerum educavit. Adulescentem, quem tacitus aliquamdiu secutus est, alloquitur et, quo ire velit, interrogat. Cuius responsum propter contumaciam erga magistrum et paedagogum indignatur (cf. 127 sq.) et queritur, quod apud adulescentem frustra erant praecepta sua (132 sqq.):

'Iam pérdidisti te átque me atque operám meam,
Qui tíbi nequiquam saépe monstraví bene.'

(164 sq.): 'Nimió's tu ad istas rés discipulus dócilior
Quam ad ílla quae te dócui, ubi operam pérdidi.'

Iram in adulescentem et meretrices grandiloquis et paene tragicis verbis erumpit (149 sq.):

'O bárathrum, ubi nunc es? út ego te usurpém lubens.
Vixísse nimio sátiust iam quam vívere.'

et 368 sqq.:

'Pándite atque aperíte propere iánuam hanc Orci, óbsecro:

1) cf. Legrand, Daos p. 212, adn. 2.
2) cf. Schild l. s. s. p. 71.

Nam équidem haud aliter ésse duco: quíppe quo nemo ád-
Nísi quem spes relíquere omnes, ésse ut frugi póssiet. [venit
Bácchides non Bácchides, sed Bácchae sunt acérrumae.
A'page istas a mé sorores, quae hóminum sorbent sánguinem.
O'mnis ad perníciem instructa dómus opime atque ópipare:
Quaé ut aspexi, mé continuo cóntuli protinam ín pedes.'

Itaque patrem de filii moribus, qui omnibus dedecori sunt, certiorem facere cupit (383) et seni ipsi indulgentiam adversus filium vitio dat (411 sqq.):

'Eí mihi, ei mihi ístaec illum pér didit assentátio.
Nam ábsque te esset, égo illum haberem réctum ad ingeniúm bonum:
Núnc propter te túamque pravos fáctus est fidúciam
Pístoclerus.'

Contra magnis laudibus effert prisca tempora (420 sqq.):

'Séd tu, qui pro tám corrupto dícis causam fílio,
E'ademne erat haec dísciplina tíbi, quom tu adulescéns eras?
Négo tibi hoc annís viginti fuísse primis cópiae,
Dígitum longe a paédagogo pédem ut efferes aèdibus
A'nte solem exórientem nisi ín palaestram véneras,
Gymnasi praeféeto | haud medíocris poenas pénderes.
I'd quom optigerat, hóc etiam ad malum áccersebatúr malum:
E't discipulus ét magister pérhibebantur ímprobi.
I'bi cursu luctándo, | hasta dísco, pugil[l]atú pila,
Sáliendo sese éxercebant mágis quam scorto aut sáviis:
I'bi suam aetatem éxtendebant, nón in latebrosís locis.
I'nde de hippodromo ét palaestra úbi revenissés domum,
Cíncticulo praecínctus in sella ápud magistrum adsíderes:
Cúm librum legerés, si | unam péccavisses sýllabam,
Fíeret corium tám maculosum quámst nutricis pállium.'

His versibus a Plauto Graeca instituta et mores expressos esse primo aspectu intellegi potest. — Ut minime est sagax neque homines novit, Mnesilochum, aequalem et amicum discipuli sui nondum corruptum esse putat (453 sqq.). Moribus quamquam nobis depingitur probis et antiquis, tamen admodum stultus est et magistrum se esse saepe ostendit, nam alios quoque reprehendit atque obiurgat veluti Philoxenum verbis (463 sq.):

'(Ly.) Tace:
Stúltus es qui illí male aegre pátere dici quí facit'.

Fabulas antiquas libenter spectat (111 sqq., 156); sermonem eius grandiloquum esse iam supra intelleximus. Magni autem momenti est, quod Lydus numerandus est inter illa ἤθη κωμῳδίας τὰ τῶν ἀλαζόνων quae dicuntur et, quod monstravit Suessius[1]), alazon doctus est. Nempe Thaleti comparatur ab adulescente, qui nimirum servi irridendi causa sapientiorem eum esse Thalete se semper putavisse dicit (121 sqq.). Sicuti ceteri alazones odiosus est (136) et pallidus (cf. 153 sqq.). Praeterea alazonis ingenium ex verbis illis grandiloquis supra allatis (148 sqq.) apparet. Soliloquium autem Philoxeni (1079 sqq.) Lydi verbis de educatione pristina puerorum et senis ipsius dictis contrarium esse adnotavit Langenius[2]). Hoc Lydi ingenio efficitur, nam, ut est alazon, gloriosus est et tempora prisca laudibus effert. Lydum, quamquam partes eius parvae sunt neque quicquam valet ad argumentum fabulae, tamen cum diligentia descriptum et hominem sui generis esse videmus, non typum usitatum.

In Epitrepontibus alterius paedagogi partes sunt, Onesimi, qui fidelis est erili filio, cuius commodum semper spectat velut ea in scaena, in qua Syrisco anulum domini sui aufert (174 sqq. S² p. 12, K² p. 17). Dolo fidicinae, cuius astutiam cum sua inscitia comparat et admiratur (321 sqq., 340 sqq.), non resistit, quamquam ipse anxius est et timet, ne sibi hac ex re malum oriatur (348 sq.). Sicut multi servi loquax est et plenus rimarum, ut ita dicam, quod ipse quoque fatetur verbis (205 sq.):

καὶ τῶν πρότερόν μοι μεταμέλει
μηνυμάτων· (cf. 357 sqq.).

Domino enim indicaverat uxorem clam peperisse, cuius indicii eum postea paenitet. Loquacitas et curiositas ei ab aliis quoque vitio datur, et coquus, si recte iudicaverunt editores, eum commonefacit eius in fragmento 2 (S² p. 3, K² 42):

(M.) φιλῶ σ', Ὀνήσιμε,
καὶ σὺ περίεργος εἶ.

Itaque occasione data, cum animus eius aliqua re commovetur

1) diss. p. 37. 2) l. s. s. p. 114 sq.

et perturbatur, multis utitur verbis, quae duplicat et iterat, velut in versibus (494 sqq. S² = 457 sqq. K²):

ὑπομαίνεθ' οὗτος, νὴ τὸν Ἀπόλλω, μαίνεται,
μεμάνητ' ἀλ[η]θῶς, μαίνεται, νὴ τοὺς θεούς·
τὸν δεσπότην λέγω Χαρίσιον. χολὴ
μέλαινα προσπέπτωκεν ἢ τοιοῦτό [τι·

Imprimis in periculis facile perterretur (517 sqq. S² = 488 sqq. K²):

πέφρικ' ἐγὼ μέν, αὖός εἰμι τῷ δέει·
οὕτως ἔχων γὰρ αὐτὸν ἂν ἴδῃ μέ που
τὸν διαβαλόντα, τυχὸν ἀποκτείνει[ε]ν ἄν.
διόπερ ὑπεκδέδυκα δεῦρ' ἔξω λάθρᾳ.
καὶ ποῖ τράπωμαί γ' ἐς τί βουλῆς; οἴχομαι,
ἀπόλωλα. τὴν θύραν πέπληχεν ἐξιών.
Ζεῦ σῶτερ, εἴπερ ἐστὶ δυνατόν, σῷζέ με.

et paulo post (548 sqq. S², qui versus apud Koertium non exstant): πάνυ κακῶς ἔχω σφόδρα.

ο]ἴμοι τάλας. καὶ σο[ῦ δ]έομαι τούτοις [μόνον
μή μ' ἐγκαταλίπῃς.

Sed ubi primum salva res est, confidentem, petulantem, superbum eum videmus, maxime in ea scaena, in qua cum Smicrine colloquitur et doctrinas profert philosophorum ioci et senis ludificandi causa (cf. 676 sq. S², 570 sq. K²):

αὖθις δ' ὅπως μὴ λήψομαί σε, Σμικρίνη,
προπετῆ, λέγω σοι. etc.

Hac autem in scaena insolentia eius optime ea explicatur re, quod nuper videtur manumissus esse, siquidem recte iudicaverunt Koertius[1]) et Legrandius[2]). Neque modo arrogantia eius hac ex scaena intellegitur, sed etiam scientia hominum, nam senis iram et indignationem mirum in modum coercet et ad suum arbitrium cum eo agit et eum docet. Onesimus paedagogus est erilis filii, quod vel ex more philosophandi intellegi potest, et ea de causa doctior et cultior et inter ceteros servos eminet. Propterea partes eius haud parvae sunt sed maioris momenti ad difficultates movendas et res ipsas agendas. Dominum uxorem ab Onesimo de puerperio eius

1) Zu dem Menanderpapyrus in Kairo, Berichte d. Sächs. Ges. d. Wiss., phil.-hist. Kl., LX 1908, p. 136; cf. 593 S² = 517 K²: ἐλεύθερος πάξ. 2) Revue des Etudes anc. X 1908 p. 21 sq.

certiorem factum domo expulisse iam supra commemoravimus. Neque modo perturbationis et discordiae inter maritos auctor est, sed etiam multum valet ad res pace componendas, quod Syrisco dempsit anulum, qui ita Charisii in manus venit. Robertus optimo iure eum servum esse putat, qui a Polluce nominatur θεράπων πάππος [1]. Quam personam poetis et spectatoribus in deliciis fuisse ex imagine vasculi cognoscimus [2], ubi similiter atque apud Menandrum una cum sene depicta est, etiamsi demonstrari non potest hoc in vasculo Epitrepontum scaenam illustrari.

Onesimus servorum e numero erat, qui dominis fideles sunt et ministeria faciunt magni pretii. Sed alii momenti etiam maioris sunt ad argumentum fabulae, veluti Lampadio Cistellariae. Cuius partes et mores, quamquam fabula mutilata est, tamen ex scaenis conservatis satis intellegi possunt [3]. Prologum fabulae Auxilium dicit (149 sqq.) et Lampadionem Selenium, filiolam Phanostratae, cuius paternus servus (165) et familiaris est, iussu eius clam exposuisse narrat (165 sqq.). Qui cum lenam quandam puellam tollentem vidisset, eam secutus est usque ad domum, ubi habitabat (167 sqq.). Sed Demipho, postquam Phanostratam, quam olim compresserat, in matrimonium duxit, re patefacta Lampadioni mandatum dat, ut lenam illam quaerat (182 sq.), quod mandatum servus exsequitur (184 sqq.). Postea Lampadio ipse venit: cuius verbis, quamquam scaena miserandum in modum mutilata est, officio eum functum esse (381) et lenam, anum illam vinolentam, invenisse efficitur (382. 424). Iterum ad lenam adiit et ab ea perquisivit, ubi esset Phanostratae filia, qua in re multas 'fabricas et fallacias admoenivit' et denique se ei dolium vini daturum esse promisit (536 sq.). Phanostratae, quae tum venit, se anum repperisse nuntiat. Cuius filiam, Gymnasium, e Phanostrata natam esse cum putaret, lena se puellam expositam Melaenidi amicae dedisse iuravit. Quod cum compererit, non dubitat, quin mandatum exsequatur (595):

1) Poll. IV 148. Robert, l. s. s. p. 63.
2) ib., cf. p. 24 im. 53.
3) cf. Studemundii Studia in priscos scriptores latinos collata, II 1891, p. 417 sqq.

'(La.) Perfectum ego hóc dabo negótium.'

Postquam Phanostrata abiit, servus a Melaenide, quae ex latebris omnia audivit, appellatur et interrogatus ei omnia narrat (616 sqq.). Quae his rebus auditis parentibus filiam redditura est. Lampadio interim rursus cum lena egit sed nihil impetravit. Tum cistellam videt, quam Halisca perdidit, et tollit. Eodem tempore Phanostrata accedit et interrogat servum, quid apud anum impetraverit. Quam omnia, quae antea dixerat, infitiatam esse cum respondet servus (660 sqq.), Phanostrata in cistella crepundia filiae olim expositae conspicit. Dum colloquuntur, ancilla intervenit et, antequam servum et mulierem aspexit, cistellam amissam multis cum lamentis quaerit (671—694). Quibus ex verbis Lampadio Haliscam eam esse intellegit, quae crepundia amisit, et ambo ancillam alloquuntur (695). Lampadio primum moras facit et ei, qui cistellam invenit, mercedem dandam esse dicit (737 sqq.); denique Phanostrata se cistellam habere confitetur (741 sq.) et, cuius sit, ex ancilla quaerit. Lampadionem, cum interloquatur, tacere iubet (750 sq. 753 sq.). Ancilla cistellam sibi reddi cupit et, quod servus suasit (769 sq.), Phanostrata eam reddit sed una cum Halisca intro abit. Demipho filiam sibi inventam esse iam antea certior factus venit et ipse quoque consilio Lampadionis intrat aedes. — Lampadio, qui patris Phanostratae servus erat, erili filiae fidelis et in omnibus rebus et difficultatibus auxilio est. Multum valet ad argumentum fabulae, praesertim cum in rebus agendis sollers et callidus sit. Nugas in scaenis, quae nobis conservatae sunt, vix agit sed fieri potest, ut talia infuerint in versibus illis mutilatis a v. 381 usque ad v. 433 (cf. 382).

Hoc loco imprimis nominandus est Geta Adelphorum Terentianae, servus ille fidelis et bonae frugi, quae servi persona admodum rara est secundum verba Donati (ad v. 480, II 102): '. . Servum bonum evenire non ratio est aut natura, sed casus est utpote in re rarissima.' Et Getae fidem alio loco (ad v. 301, II 70, 19 sq.) 'miram' nominat. Quam fidem eo praebet, quod domino deditus est et opera sua cunctam familiam alit, quod Hegio ipse dicit (480 sq.):

'Praetérea, ut captus ést servorum, nón malus

Neque inérs: alit illas, sólus omnem fámiliam
Susténtat: hunc abdúce, vinci, quaére rem.'

Itaque et Sostratae et Plangonis valde eum miseret; idem valde irritatur et illum, qui facinus commisit, vult ulcisci. Getae in moribus descriptis Terentium Menandrum imitatum esse et expressisse nobis confirmandum est. nam mores eius cum moribus alterius servi, Parmenonis fabulae Πλόκιον inscriptae, optime congruunt.

Huius fabulae afferendum est fragmentum clarum ab A. Gellio traditum (II 23, 15 sqq.). Parmeno, cuius partes hac in fabula sunt, 'servus bonae frugi' a grammatico appellatur. Quantopere calamitate moveatur erilis filiae, Gellius nobis describit; gemitu enim et ploratu puellae in puerperio enitentis audito 'timet, irascitur, suspicatur, miseretur, dolet', ut grammatici verbis utar. Maestum alius — fortasse dominus ipse — consolatur (fr. 407, K III 119). Quamquam ex iis, quae Gellius nobis de argumento fabulae tradidit, partes servi non magni fuisse momenti ad actionem ipsam apparere videtur, tamen mores eius diligenter hac scaena descriptos esse videmus. Omnes enim motus timoris, perturbationis, indignationis, terroris in scaena illa sine dubio clarissima verbis exsecutus erat et vultu et motu corporis expresserat[1]. — Sententiis vocibusque communibus libenter eum uti apparet ex fragmentis 405 et 406:

ὅστις πένης ὢν ζῆν ἐν ἄστει βούλεται,
ἀθυμότερον ἑαυτὸν ἐπιθυμεῖ ποιεῖν·
ὅταν γὰρ εἰς τρυφῶντα καὶ σχολὴν ἄγειν
δυνάμενον ἐμβλέψῃ, τότ' αὐτὸν ἔστ' ἰδεῖν
ὡς ἄθλιον ζῇ καὶ ταλαίπωρον βίον. (cf. Georg. 77 sqq.)

κακῶς ὁ δεσπότης βεβούλευται πάνυ·
ἐν ἀγρῷ γὰρ οἰκῶν οὐ σφόδρ' ἐξηλέγχετο
τῆς μέριδος ὢν τῆς οὐδαμοῦ τεταγμένος,
εἶχεν δὲ παραπέτασμα τὴν ἐρημίαν.

Itaque hac quoque in fabula Menander diligenter et cum studio servi descripsit mores abhorrentis a plerisque aliis.

---

1) cf. Denis, La comédie grecque, Paris. 1886, II 463.

Duo servi in initio Herois Menandrei in scaenam prodeunt. Alter, Geta, alterum, Davum, interrogat, cur tam tristis sit et perturbatus. Hac occasione data Davus se Plangonem conservam deperire narrat. Postea autem Davus propter liberalitatem et magnitudinem animi suam Plangonem, ut ab infamia defendat, a se vitiatam esse simulat. Talem servum innocentem neque suo commodo servientem antea non invenimus; servorum enim prima lex est omnia ad suam utilitatem referre. Contra Davus, quamquam insons est, facinus se commisisse simulat. Quem, cum tales describantur mores eius, familiaritate cum domino coniunctum esse non miramur. Nam reliqui servi, etiamsi socii atque ministri sunt consiliorum dominorum, tamen eos timent animisque mutabilibus et iracundis diffidunt eorum, quos, velut quod afferre non audent nuntios ingratos, saepe decipiunt et fallunt (cf. Moschionis servum in Periciromena). Davus laeta domino precatur (45 sqq., S² p. 71 = K² p. 4):

ἀποδημεῖ τρ[ίμηνον ἐπί τινα
πρᾶξιν ἰδίαν εἰς Λῆμ[νον, ἐλπίδος δὲ νῦν
ἐχόμεθα τῆς αὐτῆς· [ἐκε ῖ[νος, εὔχομαι,
σῴζοιτο — . .,

quocum amorem communicavit et a quo petit, ut pro se deprecetur Gorgiam, dominum puellae illius. — Etiam personam novimus huius servi et nomen ei dare possumus ex catalogo Pollucis supra allato. Nam Getae ex verbis (5):

τί τὰς τρίχας τίλλεις ἐπιστάς;

cum Roberto[1] personam eius fuisse eam, quae appellatur ἡγεμὼν ἐπίσειστος concludendum nobis est.

Servi, qui Davi fortasse similis erat, verba nobis conservavit Stobaeus (fr. 581, K III 177):

ἐμοὶ πόλις ἐστὶ καὶ καταφυγὴ καὶ νόμος
καὶ τοῦ δικαίου τοῦ τ' ἀδίκου παντὸς κριτὴς
ὁ δεσπότης. πρὸς τοῦτον ἕνα δεῖ ζῆν ἐμέ.

Servos fideles dominis magno usui esse confirmatur verbis (fr. 644, III 190):

1) l. s. s. p. 54.

ὅταν ἀτυχῇ τις, εὐνοοῦντος οἰκέτου
οὐκ ἔστιν οὐδὲν κτῆμα κάλλιον βίῳ.

§ 3.

A servis illis probis et dominis fidelibus alii quam maxime dissentiunt.

Alter servus Bacchidum Chrysalus est, qui plurimum valet ad argumentum fabulae et insidias parandas[1]). Adulescentem amantem adiuvat et argentum ac delicias ei comparare studet. Naturam quoque et artes, quibus ad hanc rem opus est, apud Chrysalum invenimus, nam sollers est et ingeniosus et callidus. In fabula ipsa se non perturbari sed celeriter consilia capere posse demonstrat, cum adventu militis dolus deleri videatur (842 sqq.). Omnibus modis id, quod expetiverat, consequi studet et cuiuslibet rei simulator est et dissimulator. Cum senex fraudes eius detexerit, Chrysalus ad eum adit (772) et se scelestum esse confitetur (783 sqq.); cum senex eum vinciri iusserit, satis arrogantem se praebet, cum dicit (814 sqq.):

'O stúlte, stulte, néscis nunc veníre te:
Atque ín eopse adstas lápide, ut praeco praédicat.
(Ni.) Respónde: quis me véndit? (Ch.) Quem di díligunt,
Adueléscens moritur, dúm valet sentít sapit.
Hunc si úllus deus amáret, plus annís decem,
Plus iám viginti mórtuom esse opórtuit.
†Terrae odium ámbulat: iam níhil sapit
Nec séntit: tantist quántist fungus pútidus.'

Magna cum confidentia senem ipsum pecuniam daturum atque etiam se, ut auferat, oraturum esse contendit (824 sqq.), et cum seni filium cum Bacchide accubantem monstravisset, arroganter eum a se verum auditurum esse negat. Militem Bacchidis maritum esse exponit et, cum pater perturbatus sit, triumphatur et se insontem et frugi esse simulat (854 sqq.):

'Quid núnc? scelestus tíbi videtur Chrýsalus?
Age núnc vincito me, aúscultato fílio.
Dixín tibi ego illum invénturum te quális sit?'

1) cf. Ribbeck, Geschichte der römischen Dichtung, Stuttg. I² 1894, p. 74, 94.

Deinde se senem adiuturum esse pollicetur et cum milite agit, qua in re ne maximum quidem periurium repudiat (892 sqq.):

'(Ch.) Ita me Iúppiter Iunó Ceres
Minérva †Lato[na] Spés Opis Virtús Venus
Castór Polluces Márs Mercurius Hércules
Summánus Sol Satúrnus dique omnés ament,
Ut ílle cum illa néque cubat neque ámbulat
Neque aúscul[t]atur néque illud quod dicí solet.
(Ni.) Ut iúrat: servat me ílle suis periúriis.'

Cum Nicobulum sibi confidere putet, etiam filium ad rectam rationem vitae se perducere velle simulat (907 sqq.):

'(Ni.) Quid eo íntroibis? (Ch.) út eum dictis plúrumis
Castígem, quom haec sic fácta ad hunc faciát modum.'

Hoc se fecisse postea gloriatur (981 sqq., 1012, 1018). Alteram epistulam cum attulisset, se abire velle sed iussu senis manere simulat (988 sqq., cf. 994: 'iústumst, ⟨ut⟩ tuós tibi servos túo arbitratu sérviat.') Summa autem ars simulandi inest verbis, quibus dolum struit seni (1027 sqq.), cui primum suadet, ne filio argentum det, deinde sibi a patre, qui filium amet neque eum corrumpi velit, filio argentum dandum esse persuaderi fingit et postremo a sene exoratur, ut ei apportet. Hac ex scaena etiam magna scientia animi hominum quam habuit Menander apparet, quod Chrysalus docte utitur amore patris, qui filium corrumpi nolit (cf. v. 1040, 1044 sqq.). Iam antequam dolum struxit et res bene gesta est, magna confidentia eius est et se senem dolis suis capturum esse gloriatur (239 sqq., 701, 766 sqq.). Si rem suam salvam esse putat, superbus fit et petulans velut in versibus, quibus Nicobulum, quem decipit, ludibrio insuper habet (991 sq.):

'(Ni.) Eúge, litterás minutas. (Ch.) Quí quidem videát parum:
Vérum qui satis vídeat, grandes sátis sunt.'

Exsultat et triumphat, si dolum suum prospere evenisse videt, velut in soliloquio illo clarissimo (925 sqq.). Superbiam quandam atque arrogantiam saepe in eo videmus et optime quidem in verbis (751):

749 (Mn.) 'O'bsecro, quid istís ad istunc úsust conscriptís modum,
U't tibi nequid crédat atque ut vínctum te adservét domi?
(Ch.) Quía mi ita lubet. pótin ut cures té atque ut ne parcás mihi?'

Sicut multi servi Menandrei sententias saepe affert praeclaras plerumque ioci causa et ad risum movendum iis usus velut in versibus 816 sqq. supra allatis. Adulescentes autem servis, qui eos tantopere adiuvant, gratias agunt (cf. 521 sqq., 689 sqq.). Itaque in Chrysalo novas invenimus servi partes, qui maximi momenti est ad argumentum totius fabulae et semper princeps et auctor est in rebus omnibus, quod consilio, auxilio, dolis instituendis adulescentes adiuvat luxuriosos et ad pecuniam iis comparandam patres decipit et ludibrio habet. Iam supra, quantum fieri potest, intelleximus, quanta fide poeta Romanus comoediam Graecam imitatus sit et expresserit. Ipso ex argumento Atticam lascivam artem et venustatem cognoscere possumus et ex permultis rebus Graecis, imprimis mythologicis Plautum exemplum Graecum satis accurate expressisse apparet, veluti Chrysali canticum, quo senis ludificatio cum expugnatione Troiae comparatur, ad exemplum Graecum revocandum esse demonstravit Kiesslingius [1]. (Contra deos Romanos enumerat Chrysalus in lepidissimis illis verbis iuris iurandi 892 sqq.). Itaque morum in descriptione eum non decessisse verisimile est a poeta Graeco. Chrysali autem in partibus servus nobis depictus est proprie Menandreus, qui quasi princeps est fabulae, θεράπων ἡγεμών qui nominatur a Polluce (l. s. s.). Tales erant partes servi Menandrei in Bis decipiente (K III p. 35 sq.). Persona quoque et figura huius servi nobis describitur Pseud. 1218 sqq.

'Rúfus quidam, véntriosus, crássis suris, súbniger,
Mágno capite, acútis oculis, óre rubicundo, ádmodum
Mágnis pedibus.'

Nam quod Pseudolus servus fallax est et propter magnam similitudinem personarum actorum, quorum partes eaedem erant, hi versus ad Chrysalum quoque referendi sunt. Robertus [2]) Chrysalo ex indice Pollucis nomen dat atque eius et Lydi, paedagogorum adulescentis, personam fuisse putat eam, quae appellatur a Polluce (l. s. s.) θεράπων πάππος. Mihi quidem minime persuasit eandem fuisse personam Chrysali, servi astuti et callidi, atque Lydi, servi bonae frugi et magistri severi atque morosi.

---

1) Analecta Plautina, in Ind. schol. univers. Gryphisvald. 1878, p. 14 sqq. 2) l. s. s. p. 69.

Servi callidi partes multis in comoediis fuisse poetarum comicorum ipsis efficitur versibus his: Plauti Most. 1149 sqq.

‘(Tranio) Si amicus De<í>philo aut Philémoni's,
Dícito [i]is, quo pácto tuos te sérvos ludificáverit:
O'ptumas frustrátiones déderis in com[m]o<é>diis.’

Caecilii Syneph. fr. 1 (C. R. F. Ribb.^{3} p. 79):

‘In amóre suave est súmmo summaque ínopia
Paréntem habere avárum inlepidum, in líberos
Diffícilem, qui te néc amet nec studeát tui.
Aut tu íllum furto fállas aut per lítteras
Avértas aliquod nómen aut per sérvolum
Percútias pavidum, póstremo a parcó patre
Quod súmas quanto díssipes libéntius!

— ex inc. fab. fr. 3 (ib. p. 85):

‘Ut me hódie ante omnes cómicos stultós senes
Versáris atque inlússeris lautíssime.’

Apud scriptores autem posteriores servus fallax erat servus comicus et Menandreus, ut ita dicam κατ' ἐξοχήν, quod multis colligitur ex locis:

Ovidii, am. I 15, 17 sq.

‘Dum fallax servus, durus pater, inproba lena
Vivent et meretrix blanda, Menandros erit.’

Horatii, sermon. I 10, 40 sqq.

‘Arguta meretrice potes Davoque Chremeta
Eludente senem comis garrire libellos
Unus viuorum, Fundani.’

Manilii V 472:

‘Ardentis iuvenis raptasque in amore puellas
Elusosque senes agilesque per omnia servos,
Quis in cuncta suam produxit saecula vitam
Doctior urbe sua linguae sub flore Menander,
Qui vitae ostendit vitam chartisque sacravit.’

Apulei. flor. 16, 64:

‘. . . Et leno perfidus et amator fervidus et servulus callidus.’

Galenus medicos quosdam comparat cum Davis et Getis, servis comicis, et dicit (de nat. fac. I 17 = fr. 946 K III p. 244):

ὁμοίως τοῖς ὑπὸ τοῦ βελτίστου Μενάνδρου κατὰ τὰς κωμῳδίας εἰσαγομένοις οἰκέταις, Δάοις τέ τισι καὶ Γέταις,

οὐδὲν ἡγουμένοις σφίσι πεπρᾶχθαι γενναῖον, εἰ μὴ τρὶς ἐξαπατήσειαν τὸν δεσπότην.

Chrysali Bacchidum similis est Davus Andriae Terentianae. Familiaris est Pamphili, quem Simo matrimonio coniungere vult cum filia Chremetis. Quod cum eventurum non esse servus intellexerit, adulescenti consilium dat, ut se consentire simulet. Sed praeter opinionem matrimonium iungi posse videtur et ideo consilio Davi rei adulescentis detrimentum affertur maximum. Itaque consilium senis irritum reddendum est. Quod cum exsequi studeat, Simo in eum, quem consilio suo impedimento esse videt, magnopere indignatur. Denique res difficillimae agnitione explicantur et duo matrimonia coniunguntur [1]. Itaque Davum quoque servum callidum esse videmus, qualem eum describunt Donatus (ad v. 373, 382, 517, 598) et Eugraphius (ad v. 338, 432, 598). Hominum naturam et mores eum perspexisse ex ea ratione intellegitur, qua de Simone existimat (394 sqq.):

'Patrí dic velle, ut, quóm velit, tibi iúre irasci nón queat.
Nam quód tu speres »própulsabo fácile uxorem his móribus;
Dabit némo«: inveniet ínopem potius quám te corrumpí sinat. (cf. Bacch. 1040).
Sed sí te aequo animo férre accipiet, néclegentem féceris;
Aliam ótiosus quaéret: interea áliquid acciderít boni.'

Magna confidentia eius est rebus in dubiis (617 sq.) et celeriter consilium capit (cf. 665—683). Sicut Chrysalus Davus quoque Andriae simulator est et εἴρων atque consilium callidum senis admirari se dicit haud sine irrisione (587 sqq.):

'(Si.) Non fúerant nuptiaé futurae. (Da.) quíd? non? (Si.) sed ea grátia
Simulávi, vos ut pértemptarem (Da.) quíd aïs? (Si.) sic res ést. (Da.) vide:
Numquam ístuc quivi ego íntellegere. váh consilium cállidum!'

Mendax et periurus est, quod ceteri haud ignorant, sed idem, quod sine dubio risum movit spectatoribus, periurium evitare studet (726 sqq.):

1) cf. Ribbeck, l. s. s. p. 132 sqq., G. Vallat, l. s. s. p. 23 sq., Siess, l. s. s. XXVIII p. 237 sqq.

(Da.) Ex ara hinc súme verbenás tibi
Atque eás substerne. (My.) quam ób rem id tute nón facis?
(Da.) Quia, sí forte opus sit ád erum iurató mihi
Non ádposisse, ut líquido possim. (My.) intéllego:
Nova núnc religio in te ístaec incessít. cedo!'

In alios contumax est et arrogans (702 sqq.):

'(Da.) Consílium quaero. (Pa.) fórtis!
Scio quód conere . . . (Da.) hoc égo tibi proféeto effectum réddam.
(Pa.) Iam hoc ópus est. (Da.) quin iam habeó. (Ch.) quid est?
(Da.) huic, nón tibi habeo, ne érres.
(Ch.) Sat hábeo. (Pa.) quid faciés? cedo. (Da.) Dies híc mi ut satis sit véreor
Ad agéndum: ne vocívom [esse] me nunc ád narrandum crédas:
Proinde hínc vos amolímini, nam mi ínpedimento éstis.'

imprimis in eos, qui re vera consiliis eius impedimento sunt, veluti contra Simonem in colloquio cum eo habito (184 sqq.). Si confidens est, facetiis quoque utitur et ambigue loquitur (434 sqq.):

'(Si.) Quid Dávos narrat? (Da.) aéque quicquam núnc quidem?
(Si.) Nilne? hém. (Da.) nil prorsus. (Si.) átqui exspectabám quidem.
(Da.) Praetér spem evenit, séntio: hoc male habét virum.
(Si.) Potin és mihi verum dícere? (Da.) nil fácilius.
(Si.) Num illí molestae quídpiam haec sunt núptiae
⟨Eius⟩ própter consuetúdinem huiusce hóspitae?
(Da.) Nil hércle; aut, si adeo, bíduist aut trídui
Haec sóllicitudo: nósti? deinde désinet.
Etenim ípsus secum ⟨id⟩ récta reputavít via.'

Sed idem, qui triumphatur, si res salva est, rebus adversis perturbatur et perterretur (599 sqq.):

'(Da.) núllus sum.
Quid caúsaest quin hinc ín pistrinum récta proficiscár via?
Nil ést preci locí relictum: iám perturbavi ómnia:
Erúm fefelli; in núptias coniéci erilem fílium;
Feci hódie ut fierent, ínsperante hoc átque invito Pámphilo.
Em astútias! quod sí quiessem, nil evenissét mali.
Sed éccum video ipsum: óccidi.

'Utinam mi esset áliquid hic quo núnc me praecipitém darem!'

Et in scaena 2 actus V adventu senis ita perturbatur, ut dolum suum et Pamphilum ipsum prodat (849 sq.):

(Si.) E'tiam tu hoc respónde, quid istic tíbi negotist? (Da.) míhine? (Si.) ita

(Da.) Míhin? (Si.) tibi ergo. (Da.) módo <huc> ii intro. (Si.) quasi ego quam dudúm rogem.

(Da.) Cúm tuo gnato una.' — — — — — —

Quos ad versus Donatus adnotat (I p. 237, 5): 'Apparet ita turbari Davum modo consilio poetae, ut omnes amittat fallacias et oppressus prodat Pamphilum, dum malum comminus perhorrescit. totumque hoc ex argumento est: vult enim poeta iam catastropham patefieri.' (ad v. 851, l. 2. ib.): 'Servi excusatio filii accusatio est. Et hoc quasi a perturbato dicitur servo, sed consilio poetae ad exitum festinantis et resolutionem fabulae.' — Neque vero Davus perturbatus a comoedia abhorret, quod Horatii apparet ex v. serm. II 5, 90 sqq.:

'Difficilem et morosum offendet garrulus: ultra
'Non' 'etiam' sileas; Davos sis comicus atque
Stes capite obstipo, multum similis metuenti.'

Itaque hae servi partes Chrysali a partibus satis discrepant neque tantopere ad fabulam valent quantopere illius, quod ex eo apparet, quod Davus ipse spe decipitur. Sed servi mores sibi constant. Hunc quoque servum sicut alios servos Menandreos philosophantem videmus (794 sq.):

'Paulum ínteresse cénses, ex animo ómnia,
Ut fért natura, fácias an de indústria?'

Denique aliquot verba dicenda sunt de ratione, quae ei intercedit cum Pamphilo, erili filio. Simo Davo diffidit et eum omnia sui detrimenti causa facere putat (159 sqq.). Contra erilis filius ei gratus est et pro eo deprecatur (955) et Davi ipsius ex verbis eum amare intellegimus adulescentem (209 sq.):

'Nec quíd agam certumst, Pámphilumne adiútem an auscultém seni.
Si illúm relinquo, eius vítae timeo; — — —.'

Nobis quidem amore Pamphili commotum seni dolos eum struxisse persuasum est, quod ipse dicit verbis (675 sqq.):

'Ego, Pámphile, hoc tibi pró servitio débeo,

Conári manibus pédibus noctisque ét diés,
Capitís periclum adíre, dum prosím tibi;
Tuomst, sí quid praeter spem évenit, mi ignóscere.
Parúm succedit quód ago; at facio sédulo.
Vel mélius tute réperi, me missúm face.'

Itaque Davum servum esse videmus callidum sed a reliquis paulo disparem, neque enim tam confidens neque tam spe victoriae elatus est quam plerique velut Chrysalus, sed nonnunquam magnopere perturbatur. Quo ingenio efficitur partes eius ut neque in dolis struendis neque in rebus agendis neque in exitu fabulae tanti sint momenti quanti sunt Chrysali. Videamus nunc, quantum Terentius Davi in moribus descriptis Menandrum secutus sit atque expresserit. Terentium hac in fabula semper Menandri Andriam rebus exceptis singulis, quas ex Perinthia, antiquiore Menandri fabula sumpsit, secutum esse constat. Quod in annotatione didascalica verbis confirmatur: 'tota Graeca Menandru', et poeta ipse nobis dicit prologi v. 9 sqq.:

'Menánder fecit A'ndriam et Períntbiam ·
Qui utrámvis recte nórit ambas nóverit:
Ita nón sunt dissimili árgumento séd tamen
Dissímili oratióne sunt factae ác stilo.
Quae cónvenere in A'ndriam ex Períntbia
Fatétur transtulísse atque usum pró suis.'

Ex paucis Andriae Menandreae fragmentis non multum concludi potest. Sed duo fragmenta commemoranda sunt, quae Donatus adnotavit ad versus 204 et 611: Ex fragmento 38 (K III 15 = v. 204) Davum fingere atque simulare et ex fragmento 43 (K III 16 = v. 611) eum perturbatum esse similiter atque Davus Terentianus perturbatur verbis Simonis (592 sqq.), ita ut Terentius satis accurate Menandri verba expresserit, apparere videtur. — Maiorem autem fructum capere possumus ex adnotationibus Donati, qui Terentium a fabula Graeca abhorrere saepius adfirmat. — Ad versum 794 (I p. 226 sq.) scripsit: 'Et haec sententia a Terentio ἐρωτηματικῶς prolata est, quam Menander ἐπιδεικτικῶς posuit.' Sed quod Donatus discrepantiam tam parvam memoria dignam esse putabat, verba Graeca ipsa paulum apud Terentium variata esse videntur. Neque discrepantias maiores iis, quas adnotavit Donatus ex-

titisse et Terentium fabulam Graecam satis fideliter expressisse nos concludere opus est. Reicienda autem est coniectura Vallatii[1]), qui Terentium mores Davi Menandrei ad bonam partem mutavisse eumque perturbatum eo consilio, ut 'fallacias amitteret', in scaenam produxisse arbitratur. Quod Vallatius Donati verbis supra allatis (p. 67) effici putat. Donatus poetam servum descripsisse dicit perturbatum, ut dolum et dominum prodat, quod 'ex argumento sit fabulae ad exitum festinantis.' Quod dici non potest nisi de poeta, de eo, qui fecit fabulam, de Menandro neque de Terentio. Quae verba si ad Terentium referenda essent, Donatus aliter et multo apertius id nobis dixisset. Nam si argumentum et morum descriptio apud Menandrum alia fuisset, mutationes factae essent a Terentio magni momenti, de quibus Donatum certiores nos fecisse verbis haud ambiguis apparet, qui exemplum Graecum paulum mutatum esse prodidit. Itaque Terentium et argumentum et mores fabulae Menandreae accurate expressisse nobis concludendum est[2]).

In Adelphis Terentiana partes sunt servi callidi, cuius de moribus saepius loquitur Donatus. In praefatione ipsa dicit (II p. 8): 'servatur autem per totam fabulam — — callidus Syrus.' In singulis quoque versibus exponendis ingenium et naturam eius describit velut 'captiosissimum famulum' eum appellat (ad v. 221, II 49, 18). Optime calliditas eius intellegi potest ex scaena 2 actus IV, in qua mendaciis et simulatione se liberare scit ex periculo, quod interpretatur Donatus verbis (ad v. 579, II 119, 26) dignis, quae afferantur: 'Calliditas est maxima, deprehensum mendacium non defendere sed fateri, ut opinionem simplicitatis acquirat. vides igitur, ut ipse sib succenseat, tamquam imprudens erraverit, non dolosus impulerit interrogantem.' Satis sollertem se praebet in scaena 2 actus II, in qua cum lenone colloquitur et agit, et etiam magis, quod dolose bis verba dat Demeae (400—413, 556—567). Itaque non miramur, quod satis superbe cum Demea loquitur et verba eius grandiloqua in ludibrium vertit (413—432). De familiaritate autem, qua cum adulescente coniunctus est, dicit

---

1) l. s. s. p. 95. 2) In eadem sententia sunt Nencini, De Terentii fontibus, Liburni 1891, p. 18 sqq., et Siessia, l. s. s. XXVIII p. 239.

Donatus (ad v. 529, II 109, 25): 'Vide magistrum ad nequitiam, ut simplici adulescenti mentiendi viam demonstret et honestum temptet afferre argumentum ad mendacium' (cf. ad v. 528, II 109, 19). Aeschinus adiutorem eum fuisse haud ignorat et liberum fieri cupit (969). Sicuti reliqui servi callidi in rebus dubiis et difficilibus celeriter consilium capit, petulans est et superbus veluti v. 379 ad Demeam dicit:

'Mi equidem nón placent
Et clámo saepe.'

Idem confidentem et arrogantem se praebet v. 284 sqq.:

'Non fíet, bono animo és: tu cum illa te íntus oblecta ínterim
Et léctulos iube stérni nobis ét parari cétera.
Ego iám transacta ré convortam mé domum cum obsónio.'

Donatus Syri ex verbis 'confidentiam servilem' intellegi dicit (II 65, 12) et ad v. 286 (ib. 20): '»Convertam« magnifice dictum; verbum enim est magni moliminis et gravaminis ingentis. nam »convertere se« dicitur, quem pompa praecedit; et imperator proprie »convertit« exercitum. ex hoc spectatur,' ut moribus arrogantes servi sint, cum laetantur.' Convivium, quod Syrus his verbis spectat, postea intro agitur a Ctesiphone, amica eius, Syro, neque a poeta describitur, sed nihil videmus nisi Syrum ebrium ex eo venientem[1]). Cuius confidentiam, securitatem, insolentiam optime cognoscere possumus ex versibus ebrii in scaenam prodeuntis lepidissimis illis et dignis, qui exscribantur (763 sqq.):

'(Sy.) Edepól, Syrisce, té curasti mólliter
Lautéque munus ádministrastí tuom:
Abi. séd postquam intus sum ómnium rerúm satur,
Prodeámbulare huc lúbitumst. (De.) illud sís vide:
Exémplum disciplínae? (Sy.) ecce autem híc adest
Senex nóster. quid fit? quíd tu es tristis? (De.) óh scelus!
(Sy.) Ohe iám! tu verba fúndis hic, sapiéntia!
(De.) Tun sí meus esses . . . (Sy.) dís quidem esses, Démea,
Ac tuám rem constabilísses. (De.) exemplo ómnibus
Curárem ut esses. (Sy.) quam ób rem? qui feci? (De.) [rogas?
In ípsa turba atque ín peccato máxumo,
Quod víx sedatum sátis est, potastí, scelus,
Quasi ré bene gesta. (Sy.) sáne nollem huc éxitum.

1) cf. diss. Prehn. p. 30 sq.

V 2 Dromo Syrus Demea

(Dr.) Heus Sýre, rogat te Ctésipho ut redeás. (Sy.) abi. —
(De.) Quid Ctésiphonem hic nárrat? (Sy.) nil. (De.) eho, cárnufex,
Est Ctésipho intus? (Sy.) nón est. (De.) quor hic nóminat?
(Sy.) Est álius quidam, párasitaster paúlulus:
Nostín? (De.) iam scibo. (Sy.) quíd agis? quo abis? (De.) mítte me.
(Sy.) Noli ínquam. (De.) non manum ábstines, mastígia?
An tíbi iam mavis cérebrum dispergam híc? (Sy.) abit. —
Edepól commissatórem haud sane cómmodum,
Praesértim Ctesiphóni! quid ego núnc agam?
Nisi, dum haéc silescunt túrbae, interea in ángulum
Aliquo ábeam atque edormíscam hoc villi: síc agam.'

Neque dubium est, quin Syri in moribus descriptis Terentius poetam Graecum secutus sit. Cum versibus modo allatis congruit Menandri fr. 229 (K III 66), in quo servus temulentus a domino increpari videtur: καὶ τὸ κεράμιον
ἀνέῳχας· ὄζεις, ἱερόσυλ', οἴνου πολύ.

Verberatus facetiarum quamquam non obliviscitur, fugere tamen cogitat (554):

'Nón hercle hic qui vólt durare quísquam, si sic fít, potest.'

Cum a Demea manumissus sit, nondum contentus est, sed Phrygiam conservam liberam fieri cupit (972 sq.). — Paedagogum eum esse ex verbis apparet (563):

'Quem égo modo puerúm tantillum in mánibus gestaví meis.'

et se optime praeceptoris officiis functum esse ipse praedicat verbis (962 sq.):

'E'go istos vobis úsque a pueris cúravi ambos sédulo:
Dócui, monui, béne praecepi sémper quae potui ómnia.'

Denique Syrus quoque servus est callidus, quamquam partes eius ad argumentum non tanti momenti esse apparet quanti sunt aliorum servorum fallacium [1]). Syrum servum Menandreum esse negari prorsus non potest, quod neque Donatus, auctor ille fidelis, quicquam commemorat de moribus eius a Terentio mutatis, et in didascalia legitur: 'tota Graeca Menandru [2]).

---

1) cf. Bergk, Griech. Literaturgeschichte IV p. 194. 2) Similiter iudicant Vallatius, l. s. s. p. 68 et Siessia, l. s. s. XXIX p. 91.

In fabula, quae Heautontimorumenos inscripta est, comoedia illa satis difficili[1]), Syrus est servus, qui multum ad actionem ipsam valet[2]). Duplices partes habet: nam Chremes eum pro se fallacias struere credit, sed ipse decipitur· Qua re magis animos spectantium ad se convertit et saepe consilia eius aut in periculum adducuntur aut omittenda ei sunt et abicienda (cf. 668 sqq., 709 sqq.). In difficultatibus et periculis inopinatis sicut nonnulli alii servi paulisper perturbatur, quamvis confidentem se praebeat (822 sqq.):

'Cl.) Perií. (Sy.) bono animo es: iam árgentum ad eam déferes
Quod eí pollicitu's. (Cl.) gárris. unde? (Sy.) a tuó patre.
(Cl.) Ludís fortasse me? (Sy.) ípsa re experíbere.'

et imprimis verbis (675):

'Nil tám difficilest quín quaerendo invéstigari póssiet.'

quibuscum verbis optime congruunt Menandri versus (fr. 131 et 132, K III 39): οὐδενὸς χρὴ πράγματος
τὸν εὖ πονοῦνθ' ὅλως ἀπογνῶναί ποτε.
— — — — — — — — —
ἁλωτὰ γίνετ' ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ
ἅπαντα.

etiamsi nobis ignotum est, quis haec verba fecerit. Rebus in difficilibus celeriter auxilium fert (cf. 978—1002) neque ioci obliviscitur (981):

'(Sy.) Modo líceat vivere, ést spes. (Cl.) quae? (Sy.) nos ésuriturós satis.'

Ridicule et facete virum probum se esse simulat verbis (549):

'Nón est mentirí meum.'

Satis petulanter Chremeti respondet (518 sq.):

⟨'(Ch.) Quid tu ístic?⟩ (Sy.) recte equidém; sed te mirór, Chremes,
Tam máne, qui heri tántum biberis.'

Optime autem insolentiam suam demonstrat eo, quod Clitophonem 'abire deambulatum' iubet (585 sq.):

'Chremés, vin tu homini stúlto mi auscultáre? (Ch.) quid faciám? (Sy.) iube hunc
Abíre hinc aliquo. (Cl.) quó ego hinc abeam? (Sy.) quó lubet: da illís locum:

---

1) cf. Ribbeck, l. s. s. I 138 sq., Siess, XXVIII p. 241 sqq., O. Koehler, De Heautontimorumeno, diss. Lips. 1908.

2) cf. Siess, l. s. s. p. 260 sqq.

Abi deámbulatum. (Cl.) deámbulatum? quó? (Sy.) vah,
quasi desít locus
Abi sáne istac, istórsum, quovis.'

Adulescentem, quem iniquum esse incusat, satis superbe obiurgat (320—331), neque minus petulantem se praebet verbis (335 sq.): '(Sy.) longumst, Clítipho,
Sí tibi narrem, quam ób rem id faciam: véra causast.'
et (813 sq.): '(Sy.) íbin hinc quo dígnus es?
Quam paéne tua me pérdidit protérvitas.'

Inde autem haec arrogantia explicatur, quod et paedagogus fuit Clitophonis (cf. 579 sq., 594) et auctor est consiliorum eius (cf. 338 sqq.) et se illo superiorem esse scit. — Quibus ex rebus Syrum servi callidi personam gerere intellegitur. Plura de fide, qua Terentius poetam Graecum Syri in moribus descriptis imitatus sit, statuere non possumus, cum neque Donati commentarius hanc ad fabulam scriptus servatus sit neque aliis argumentis certis uti possimus. Neque tamen, quamvis dissentiant doctorum virorum sententiae hac de fabula[1]), contaminatam eam esse probari potest, sed Terentium exemplar Graecum imprimis morum in descriptione eleganti et subtili satis accurate expressisse verisimile est[2]).

Servus, cui sicut multis aliis nomen est Davus, in scaenam prodit novae comoediae in fragmento nuper reperto (Ox. Pap. VI, n. 855, K^2 p. 133, S^2 99). Senex servum fraudibus et fallaciis detectis poena se affecturum esse minatur et irridet et igni ab ara, ad quam se confugerat, depellere in animo habet. Servus autem animum demisit et timore perterritus cacat. Iam editores Britanni propter fragmentum Perinthiae Menandreae 393 (K III 112):

ὅστις παραλαβὼν δεσπότην ἀπράγμονα
καὶ κοῦφον ἐξαπατᾷ θεράπων, οὐκ οἶδ' ὅτι

1) cf. Koehler, l. s. s. p. 1 sq.

2) cf. Kampe, Die Lustspiele des Terenz und ihre griechischen Originale, 1884, p. 19, diss. Fabiae p. 188 sq, Lindskog, Studien zum antiken Drama, Lundiae 1897, in miscell. p. 9, adn. 1, Siess, l. s. s. XXVIII p. 262 sq., Koehler, l. s. s. p. 37 sq.: 'Itaque nihil esse apparet, cur non totam hanc fabulam unius Menandri consilio attribuamus mereque eam a Terentio translatam credamus.'

οὗτος μεγαλεῖόν ἐστι διαπεπραγμένος,
ἐπαβελτερώσας τὸν πρότερον ἀβέλτερον.

verbis Lachetis (13 sq.): ναί, Δᾶε, τὸ μὲν ἀπράγμονα
καὶ κοῦφον ἐξαπατᾶν γάρ ἐστι δεσπότην
φλύαρος.

admodum simile Perinthiae Menandreae versus repertos esse putaverant. Quod post eos Wilamowitzius et Leo, ille propter sermonem, hic propter servum huius fragmenti, cuius partes abhorrere existimabat a servis Menandreis, negaverunt et Leo versus ante Menandrum factos esse coniecit[1]. Postremo Koertius[2] denuo versus interpretatus est et luculenter de ratione egit, quae inter eos et Perinthiae fragmentum intercederet. Linguam a Menandro non abhorrere demonstrat et ea refellit, quae contradixerat Leo, qui versus Menandri esse negat tam obscaenos et scurriles. Hac enim in fabula a Menandro temulentam quoque anum, personam haud minus ridiculam, in scaenam productam esse ostendit atque orationem et stilum Perinthiae abhorruisse a fabulis Menandreis postea scriptis versibus demonstrat notis prologi Andriae (9 sqq., p. 68 allatis). Itaque ea, quae contra Menandrum auctorem huius fragmenti dicta erant, a Koertio refutata sunt neque, quod fragmentum Perinthiae Menandreae optime cohaeret cum versibus nuper detectis, eos hanc ad fabulam referendos esse negari potest. Denique Koertius enarravit, quomodo haec scaena cum actione totius fabulae coniuncta esset. Memoria dignum est iam Lindskogium, antequam papyrus inventa est, recte conclusisse et Perinthiam antiquiorem esse Andria et partes temulentae anus in ea infuisse[3].

Praeterea hoc loco afferendum est fragmentum Afranii, fabulae quae appellatur 'Togata' poetae clarissimi, ex Incendio' a Nonio nobis conservatum (Com. Rom. Fragm. ed. Ribb.³ p. 223, fr. 1): 'servus ést mihi Nicásio,
Scelerátus, curiósus, is cum fílio
Coiécerat nescío quid de ratiúncula.'

Afranium autem secutum esse Menandrum et notum est et

1) Herm. XLIV 1909 p. 143 sqq. 2) ib. p. 309 sqq.
3) l. s. s. p. 10 sq.

poetae ipsius ex versibus apparet, quos tradidit Macrobius (Sat. VI 1, 4 = C. R. F.[3] 198). Itaque his quoque servi in partibus Menandrum eum secutum esse arbitror, praesertim cum hac in fabula expressa esse videatur Menandri Ἐμπιπραμένη. Tamen togatarum scriptori partes servi callidi fuisse reprimendas Donati fuit opinio, qui haec docuit ad Eun. v. I 1, 12, I p 280, 17 sqq.: 'Concessum est in palliata poetis comicis servos dominis sapientiores fingere, quod idem in togata non fere licet.'

§ 4.

A servis illis fallacibus differt Parmeno Eunuchi. Eunuchum domum Thaidis dum deducit, in via in Chaeream incidit, qui eunucho invidet, quod multum erit cum puella, cuius amore ipse deperit (365 sqq.). Tum Parmeno spem adulescentis excitat et multis verbis usus consilium ei aperit: Chaeream loco eunuchi ad puellam se ducturum esse promittit (369 sqq.):

'(Pa.) Quid sí nunc tute fórtunatus fías? (Ch.) qua re, Pármeno?
Respónde. (Pa.) capias véstem illius. (Ch.) véstem? quid tum póstea?
(Pa.) Pro illó te deducam. (Ch.) aúdio. (Pa.) te esse íllum dicam. (Ch.) intéllego.
(Pa.) Tu illís fruare cómmodis quibus tú illum dicebás modo:
Cibum úna capias, ádsis, tangas, lúdas, propter dórmias;
Quandóquidem illarum néque te quisquam nóvit neque scit quí sies.
Praetérea forma et aétas ipsast, fácile ut pro eunuchó probes.'

Quibus ex verbis eum consilio et astutia elatum esse intellegitur. Neque vero Chaeream hoc serio acturum esse exspectaverat, nam festinanter et magno cum gaudio consentienti iocatum se esse confitetur et consilii periculosi auctorem se fuisse aegerrime fert, nam 'callide servus non vult auctorem se videri tanti facinoris' (Don. ad. v. 378 I 352, 13) (378 sqq.):

'(Pa.) Quid agís? iocabar équidem. (Ch.) garris. (Pa.) périi, quid ego egí miser!
Quo trúdis? perculerís iam tu me. tíbi equidem dicó, mane.'

Adulescentem a consilio deterrere studet et se ipsum propter hanc rem verberatum iri dicit (380 sqq.):

'(Ch.) Eámus. (Pa.) pergin? (Ch.) céitumst. (Pa.) vide ne nímium calidum hoc sit modo.
(Ch.) Non ést profecto: síne. (Pa.) at enim istaec ín me cu-
(Pa.) flagítium facimus.' [detúr faba. (Ch.) ah.

Tamen, quod serio rem agere videt Chaeream, non sine dubitatione consentit sed contra omne malum, quod hac ex re nasci potest, se munire studet (388 sqq.):

'(Pa.) Quid istíc? si certumst fácere, faciam; vérum ne post cónferas
Culpam ín me. (Ch.) non faciám. (Pa.) iubesne? (Ch.) iúbeam? cogo atque ímpero.
Numquám defugiam auctóritatem. séquere. (Pa.) di vortánt bene!'

Postea astutia sua magnopere elatus ipse et adulescentem puellae amatae compotem se fecisse et a consuetudine meretricum, quarum mores hac occasione data cognovisset, deterruisse gloriatur (923—940). — Itaque partes Parmenonis, quamquam consilii astuti auctor est, ad res agendas minoris momenti esse videmus. Neque Eunuchus fabula est fallacias continens neque Parmeno servus callidus est[1], sed re ipsa detecta timidus est et perterritus (977):

'périi: lingua haerét metu.'

Se ipsum insontem esse statim adfirmat (979 sq.):

'Ere, prímum te arbitrári id quod res ést velim:
Huius quídquid factumst, cúlpa non factúmst mea.'

Omnia seni detegit atque iterum se auctorem esse doli dissimulat (981 sqq.):

'(Se.) Quid? (Pa.) récte sane intérrogasti: opórtuit
Rem praénarrasse me. émit quendam Phaédria
Eunúchum, quem dono huíc daret. (Se.) quoi? (Pa.) Tháïdi.
(Se.) Emít? perii hercle. quánti? (Pa.) viginti minis.
(Se.) Actúmst. (Pa.) tum quandam fídicinam amat hinc Chaérea.
(Se.) Hem, quid? amat? an scit iam ílle quid meretrix siet?
An in ástu venit? áliud ex alió malum!
(Pa.) Ere, né me spectes: me ínpulsore haec nón facit.

1) cf. Ribbeck, l. s. s. p. 112 sqq., Fabiae edit. Eunuchi ⟨Paris. 1895⟩ p. 24 sqq. praef., Siess XXIX p. 86.

Itaque in discrimine rerum Parmeno minime servum callidum se praebet, cuius a moribus plane abhorret, cum tam timidus et perturbatus sit. Servi callidi paulisper quidem perturbati sunt, sed Parmeno, quod plane orbus est consilio auxilioque, rem seni prodit neque adulescentem adiuvat. Postea etiam ab ancilla decipitur; sero illusum se esse cognoscit (cf. 1017 sqq.) et triste illud dicit (1024):

'Egomét meo indició miser quasi sórex hodie périi.'

Tales partes eius sunt in fabula ipsa, auctoris quidem consilii astuti, neque vero postea multum valentis ad res agendas. Propter ingenium suum et mentem bonam inter servos fideles numerandus est. Quam maxime diversa sunt ab indole servi callidi multa verba, quibus Parmeno Phaedriam admonet et a consuetudine amicae deterrere studet (50—70). Postea adulescentem laudat, quod meretrici irascitur (154):

'Eu nóster, laudo: tándem perdoluít: vir es.'

Quamquam graviter fert, quod animus eius tam celeriter a meretrice pellicitur (178):

'Labáscit victus úno verbo quám cito!',

tamen postea aequo fert animo, quod ipse mutare non potest. Hominum naturam et mores etsi se scire saepius demonstrat (64 sqq., 85, 218 sq., 299 sqq.), tamen Chaereae ingenium alacre et fervidum parum eum perspexisse apparet ex scaena supra descripta. Praeterea facetias et sales apud eum invenimus, veluti Gnathoni ad multa verba grandiloqua breviter respondet (265):

'Viden ótium et cibus quíd facit aliénus?'

'Ioco verniliter se iactat', ut scholiastae verbis utar 961 sq.:

'(Pa.) At ne hoc nésciatis, Pýthias:
Díco, edico vóbis nostrum esse íllum erilem fílium.'

Contra alios, quibus parere non debet et quos contemnit, velut Gnathonem parasitum, quod iam supra vidimus, superbe se gerit et eos illudit. Satis confidens est in colloquio cum Thrasone habito, ubi 'cum fiducia et alto vultu' respondere eum dicit Donatus (ad v. 469, I 373, 17) et paulo post triumphatur (474 sqq.):

'(Pa.) Quid tu aís, Gnatho?
Num quíd habes, quod contémnas? quid tu autém, Thraso?
Tacént: satis laudant. fác periclum in lítteris,

Fac ín palaestra, in músicis: quae liberum
Scire aéquomst adulescéntem, sollertém dabo.'

Simili modo alacris erat animo atque hilaris, cum Chaereae consilium illud daret periculosum. Quam scaenam iterum spectemus. Primum satis obscure loquitur (369. cf. p. 75) et, quod cunctanter consilium cum adulescente communicat, animo suspenso ille exspectat, quid servus dicturus sit. Quibus versibus lectis Agricolae Menandreae scaenae nobis in mentem venit, in qua Davus feminis bonum se nuntium allaturum esse pollicetur et audiendi cupidissimas ludibrio habet et decipit (cf. p. 52 sq.). Neque tamen, quamquam Parmeno consilium Chaereae simili modo detegit atque Davus feminis nuntium affert, Parmenonis in verbis haec irrisio inest. — Parmenonem servum esse videmus sui generis neque paulum dissentientem a plerisque servis antea commemoratis. Cuius in moribus Terentium imitatum esse et expressisse apparet Menandrum et ex didascalia ('tota Graeca Menandru') et quod Donatus mores eius a Terentio mutatas esse non tradidit[1]). —

Feliciter autem evenit, quod Persius eiusdem fabulae Graecae initium imitatus est V, 167 sqq.:

'Euge puer, sapias, dis depellentibus agnam
Percute. — Sed censen', plorabit, Dave, relicta? —
Nugaris, solea, puer, obiurgabere rubra.
Ne trepidare velis atque artos rodere casses,
Nunc ferus et violens, at si vocet, haut mora, dicas. —
Quidnam igitur faciam? nec nunc, cum arcessat et ultro
Supplicet, accedam? Si totus et integer illinc
Exieras, nec nunc.'

Saturarum scriptor plures Menandri versus vertit quam Terentius, qui initium omisit et versuum Graecorum numerum minuit. Praeterea verba Terentii et i. v. 161 sqq. et i. v. 174 sqq. nonnunquam spectat[2]. At Persius, quod recte premit Denisius[3], totum stilum poetae comici mutavit, nam his e versibus poetae Romani intellegimus indolem, qui vitia hominum castigat sermone usus difficili vocibusque raris, minime Menandri leporem et elegantiam. Versus comoediae Graecae a

1) cf. Kampe, l. s. s. p. 9 sqq., edit. Fabiae p. 58, Siess, l. s. s. p. 82. 2) cf. Fabiae ed. p. 50 sqq. 3) l. s. s. II 474 sq.

saturarum scriptore accuratius expressi non sunt quam a Terentio et uterque poeta versus Menandri secundum ingenium et naturam suam mutavit.

Davus Periciromenae Menandreae minister est adulescentis, qui omnibus in rebus auxilio eius utitur. In scaenam prodit et dominum quaerit (71 sq. S[2] p. 37, K[2] p. 66), quocum paulo post in colloquio redit[1]). Moschion servo diffidit et, quod iam saepius ab eo ludificatus est, eum obiurgat (77 sqq.):

Δᾶε π[ολλ]άκις μὲν ἤδη πρός μ' ἀπήγγελκας λόγο[υ]ς
o]ὐκ ἀληθεῖς ἀλλ' ἀλαζὼν καὶ θεοῖσιν ἐχθρὸς εἶ.
εἰ δὲ καὶ [νυ]νὶ πλανᾷς με —

Sed Davus, utpote est ἀλαζών, se optime meritum esse gloriatur de amore adulescentis et se auctore amicam domum matris receptam esse nuntiat (80 – 85). Cum adulescens eum maximo praemio se affecturum esse scurrilem in modum polliceatur et se ei quod placeat, daturum esse, servus eodem modo ei respondet (91): ἡ[συ]χῇ κλέψα[ι θέλω.
et 93 sqq.: Δ. παντοπωλεῖν β[ού]λο[μαι
Μοσχίων, ἢ [τυρ]οπ[ω]λεῖν ἐ[ν ἀ]γορᾷ καθήμενο[ς·
ὀμνύω μη[δ]ὲν [μέλειν μοι πλου[σίῳ καθεσ[τάναι.
κα]τ' ἐμὲ ταῦτ' ἐ[μοί τ' ἀρέσκει] μᾶλλον.

et 98 sqq.:

Δ. τὸ γαστρίζεσθ' ἀρέ[σ]κει, δέσ[ποτ'· ἀγαπήσειν ἐγὼ
φήμ', ἐφ' οἷς εἴρηκα, τούτοις

Deinde adulescens iterum servum domum mittit, ut videat, num Moschion exspectetur a feminis et quid agant (105 sqq.):

M. εἰσιὼν δέ μοι σύ, Δᾶε, τῶν ὅλων κατάσκοπος
πραγμάτων γενοῦ, τί ποιεῖ, π[ο]ῦ 'στιν ἡ μήτηρ, ἐμὲ
εἰς τὸ προσδοκᾶν ἔχουσι πῶς· τὸ τοιουτὶ μέρος
οὐκ ἀκριβῶς δεῖ φρά[σαι] σοί, κομψὸς εἶ.

Servus paulo post redit et omnia ad adventum Moschionis parata esse et feminas eum exspectare videri nuntiat. Qua de causa rursus ad matrem mittitur, ut eam Moschionem adesse

---

1) cf. Legrand, Daos p. 314.

certiorem faciat (120). Sed Moschion eum cunctanter redeuntem videt et se a matre, quae aegre fert, quod Moschion virginem domi suae esse scit, non admitti comperit. Moschion indignatur, sed servus, qui est mendax et dolosus, eum delenire studet et se innoxium esse simulat (137 sqq.):

Δ. ἐγὼ δ' εἴρηκά σοι,
ὅτι πέπει[κ' ἐλθεῖν ἐκείνην; μὰ τὸν Ἀπόλλω 'γὼ μὲν οὔ·
εἰ δοκῶ ψε]ῦδο[ς, τρ]όφ[ι]μέ μου, σοῦ καταψεύδεσ[θ' ἔ]τι,
δῆσον.]

et Glyceram, quod servare cupiat decorum, cunctari adulescenti persuadet (146 sqq.). Quem cum sibi credere videat, statim confidens est et petulans (158 sq.):

οὐκ ἐᾷς φρονεῖ[ν μ' ἀ]θορύβ[ως· μετα]βαλοῦ τρόπον τινὰ
κοσμίως τ' εἴσω πάρ[ε]λθε.

Quae verba Syrum nos commonent Clitophonem simili modo 'deambulatum ire' iubere (Heautontim. 585 sqq.) — Itaque Davi mores, qui est vanus (ἀλαζών) et quolibet modo periculo et poena se liberare studet et suo commodo semper servit, hac ex scaena satis intellegi possunt. Dominus quoque, quamvis ipse sit nebulo, mores eius perspexit et Davum ad cibum capiendum occupatum officia neglexisse nobis narrat (292 sqq.):

τὸν Δᾶον εἰσπέμπω δὲ δηλώσονθ', ὅτι
ἥκω, τοσοῦτον αὐτό, πρὸς τὴν μητέρα.
οὗτος μὲν οὖν μικρόν τι φροντίσας ἐμοῦ
ἄριστον αὐτοῖς καταλαβὼν παρακείμενον
ἐγέμιζεν αὑτόν.

In Sticho Menandrea Epignomus, qui post diuturnam absentiam in patriam revertitur, cum Sticho, comite et ministro fideli (cf. 419 sq.), in scaenam prodit. Neptuno et Mercurio postquam gratias egit propter reditum felicem, Sticho mandata sua dat et ille dominum orat, ut hunc diem sibi liberum det, cum amicam ducere velit (421 sqq.). Quod impetrat et se cum Sagarino et Stephanio, amica sua ipsius et Sagarini diem festum agere velle narrat. Spectatorum causa adduntur versus (446 sqq.):

'Atque íd ne vos miréminí, homines sérvolos
Potáre, amare atque ád cenam condícere:
Licet haéc Athenis nóbis.'

quos a Plauto factos esse iudicant critici recte, ni fallor. Sed talia iam in exemplaribus Graecis exstitisse apparet ex fragmento Graeco Tarentinorum Alexidis (fr. 222, K II 379), ubi similiter atque Stichus spectatoribus alter alteri dicit:

τοῦτο γὰρ νῦν ἐστί σοι
ἐν ταῖς Ἀθήναις ταῖς καλαῖς ἐπιχώριον.
ἅπαντες ὀρχοῦντ' εὐθὺς ἂν οἴνου μόνον
ὀσμὴν ἴδωσιν.

Cena illa, quam Stichus commemoraverat, in actu V agitur a Sticho, Sagarino, Pamphilippi servo, Stephanio, et similiter atque in Persa potatio servorum cum ancilla comoediae exitus est hilaris (683 sqq.). Stichus cado praeficitur et, dum Stephanium se exornat, ambo Stephanii amatores concordia coniuncti, quamvis rivales sint, iocis et nugis tempus terunt (cf. 729 sqq.):

'Haéc facetiást amare intér se rivalís duos,
U'no cantharó potare, únum scortum dúcere.
Hóc memorabilést: ego tu sum, tú's ego: unianimí sumus.
U'nam amicam amámus ambo: mécum ubist, tecúmst tamen:
Técum ubi autemst, mécum ibi autemst: neúter †utri ínvidet.';

denique Stephanium advocant (737 sq.) et una cum ea potatio continuatur. Amici, Stephanium saltare cum cupiant, tibicini vinum dant, ut cantum occipiat (760 sq.):

'Lépidam et suavem cántionem aliquam óccupito cinaédicam,
U'bi perpruriscámus usque ex únguiculis.'

Has post cantiones et saltationem Stephanii omnes intro abeunt. — Hanc fabulam, quam contaminatam esse negavimus, a plerisque ceteris differre iam supra diximus. Itaque etiam duorum servorum partes diversae sunt a plerisque reliquis. Nihil machinantur neque fallacias struunt sed scurrae sunt et nugis et iocis spectatorum animos delectant.

Supra (p. 30) in Persa puerum invenimus nomine Paegnium; eaedem partes in Sticho Plautina praesto sunt. Pinacium puer cum harundine, sportula, hamulo piscario (289) in scaenam prodit, ut erae nuntium afferat laetissimum (274)[1]. Cursu venit et mente sibi excogitat, quanto gaudio dominam affecturus sit. Sese adhortatur, ut properet (280, 285) et

1) cf. Weissmann, l. s. s. p. 21 sqq.

unumquemque, qui sibi obstet, de via depellere animum inducit (285 sqq.). Ridiculum et lepidum in modum eram se obsecraturam esse fingit, ut illi nuntium suum afferat (290 sqq.). Tandem adit domum, foras pultat, Gelasimo, qui eum alloquitur, fastidiose et cum irrisione respondet (315 sqq.). Panegyris domo exit et quaerit, quis 'frangat fores'. Pinacium satis 'propudiose' cum era loquitur (333) et se cursu fatigatum esse queritur (335 sq.). Rem ipsam, quam nuntiaturus est, satis obscure significat (339) et rursus de lassitudine queritur (340). Tum munditias fieri vult (347 sqq.) et una cum Gelasimo scurrilem in modum converrere incipit, deinde cenam parari iubet (357 sqq.), denique erae, quae nondum intellexit, quid servus nuntiare velit (cf. 356 sq.), Epignomum una cum Sticho multis cum divitiis et opibus advenisse narrat (364 sqq.).

Herois Menandreae alter servus est Geta, qui Davi a moribus modo descriptis plane abhorret. Davum amore conservae captum esse Geta intellegere non potest sed scurrilem in modum de amore eius dicit (16 sq. S² p. 70 = K² p. 3):

πλέον δυοῖν σοι] χοινίκων ὁ δεσπότης
παρέχει· πονηρόν, Δᾶ'. ὑπερδειπνεῖς ἴσως.

et eum deridet (cf. 39). His autem e verbis Getam ipsum sicut plerique servi comici ventris voluptates plurimi aestimare intellegitur.

Servos plerumque dominorum similes esse constat et idem dicendum est de servis militum. In fabula Περικειρομένη inscripta Polemonis militis familiaris est Sosias servus. Satis arroganter de moribus domini sui quamquam iudicat (52 sqq., 65 sqq. S² p. 36 = K² 65), neque, cum ille eum exornaverit et mandata dederit, contentus est sed invitus facit, quod iussus est (164 sq.), tamen domino fidelis est, nam rebus eius adversis commovetur (166 sq.). Servum se esse militis eo demonstrat, quod rusticus est et minatur sicut ἀλαζών iis, qui morem ei non gerunt, et ostiario et ancillae (197 sqq. S² p. 43, K² p. 76):

Σ. πρὸς τίν' οἴεσθ', εἰπέ μοι,
παίζειν; [τίς] ὁ λῆρος; κατὰ κράτος τὸ δυστυχ[ὲ]ς
οἰκίδιον τ[ο]ῦτ' αὐτίκ' ἐξαιρ[ήσ]ομεν.

ὅπλιζε τὸν μοιχόν. Θ. πονηρόν, ἄθλιε·
ὥσπερ παρ' ἡμῖν οὖσαν ἐπι[μ]ένεις πάλαι.
Σ. οἱ παῖδες ⟨ἐ⟩πὶ τὰ πελτί'. οὗτ[οι] πρὶν πτύσαι
διαρπάσονται πάντα, κἂν τετρωβόλους
καλῇς. Θ. ἔπαιζον, σκατοφάγ[ο]ς γὰρ εἶ. Σ. πόλιν
οἰκοῦντες. Θ. ἀλλ' οὐκ ἔχομε[ν]. Σ. αἰ[β]οῖ, λήψομαι
σάρισαν.

208 sqq.: Σ. σὺ] μὲν εἰ πρό[σει μ]οι, Δωρί, μέγα τί σοι κακὸν
δ]ώσω· σὺ τ[ού]των γέγονας α[ἰ]τιωτάτη.

Qua de causa a Moschione περιβόητος nominatur (281). Eandem petulantiam praebet in colloquio cum domino ipso et arrogantem eum videmus in scaena a v. 217, ubi ebriositas ei obicitur:

Σ. ἐκ]εῖθεν ἥκει χρήματ' εἰληφώς· ἐμοὶ
πίστευε, προδίδωσίν σε καὶ τὸ στρατ[ό]πεδον
Πο. κάθευδ' ἀπελθών, ὦ μακάριε, τὰς μά[χ]ας
τ]αύτας ἐάσας· [οὐ]χ ὑγιαίνεις. σοὶ λαλῶ,
ἧττον μεθύεις γά[ρ]. Σ. ἧττον; ὃς πέπωκ' ἴσως
κοτύλην προειδὼς πάντα ταῦθ' ὁ δυστυχὴς
τ]ηρῶν τ' ἐμαυτὸν εἰς τὸ μέλλον[1]).

Itaque non miramur, quod fidicinae dicit impudenter (232 sqq.):

ᾤμην] σε ποιήσειν τι· καὶ γάρ, 'Αβρότονον,
ἔχεις] τι πρὸς πολιορκίαν σὺ χρήσιμον
δύνασ]αί τ' ἀναβαίνειν, περικαθῆσθαι. ποῖ στρέφει,
λαι]κάστρι'; ᾐσχύνθης; μέλει τούτων τι σοί; —

Alium militis servum, qui scurra est, in fabula invenimus, quae Μισούμενος inscripta est, Getam dico Thrasonidae, cuius de ingenio Epictetus certiores nos facit (diss. IV, 1, 19): . . . ὅρα ἃ λέγει καὶ ποιεῖ ὁ Θρασωνίδης, ὃς τοσαῦτα στρατευσάμενος, ὅσα τάχα οὐδὲ σύ, πρῶτον μὲν ἐξελήλυθε νυκτός, ὅτε ὁ Γέτας οὐ τολμᾷ ἐξελθεῖν, ἀλλ' εἰ προσηναγκάζετο ὑπ' αὐτοῦ, πόλλ' ἂν ἐπικραυγάσας καὶ τὴν πικρὰν δουλείαν ἀπολοφυράμενος ἐξῆλθεν. εἶτα, τί λέγει;

---

1) Ad scaenam interpretandam cf. Robert, Die Perikeiromene des Menander, Herm. XLIV, 1909, p. 260 sq.

παιδισκάριόν με, ⟨φησί⟩, καταδεδούλωκ' εὐτελές;
ὃν οὐδὲ εἷς τῶν πολεμίων ⟨οὐ⟩ πώποτε.

τάλας, ὅς γε καὶ παιδισκαρίου δοῦλος εἶ καὶ παιδισκαρίου εὐτελοῦς. τί οὖν ἔτι σαυτὸν ἐλεύθερον λέγεις; τί δὲ προφέρεις σου τὰς στρατείας; εἶτα ξίφος αἰτεῖ καὶ πρὸς τὸν ὑπ' εὐνοίας μὴ διδόντα χαλεπαίνει καὶ δῶρα τῇ μισούσῃ πέμπει καὶ δεῖται καὶ κλαίει, πάλιν δὲ μικρὰ εὐημερήσας ἐπαίρεται. — Servus se concubia nocte militem, qui puellae amatae domum petit, comitari debere indignatur et indignantis verba fortasse exstant in fragmento 341 (K III 99): ὦ δυστυχής,

τί οὐ καθεύδεις; σύ μ' ἀποκναίεις περιπατῶν.

Militi fr. 345 (K III 100, Her. fr. 1 K² p. 6), si re vera Getae Misumeni tribuendum est, quod fecerat Meinekius, scurrilem in modum respondet:

Θρ. οὐπώποτ' ἠράσθης, Γέτα;
Γ. οὐ γὰρ ἐνεπλήσθην.

Tales scaenas non raras fuisse Luciani ex dialogo nono apparet, qui Polemonem militem cum Parmenone servo inducit.

§ 5.

Rarius inveniuntur servi, quorum partes nullius fere momenti sunt et qui non sunt nisi ministri, Dromo Heautontimorumeni et Sanga Eunuchi.

Ex fragmentis denique nominanda est Colacis scaena, miserum in modum mutilata (70—83 S², p. 92 = 54—67 K² p. 119), quae colloquium continet adulescentis cuiusdam cum servo seniore (cf. 71 = 55: τρόφιμε), qui militem non tam timendum esse quam adulatorem demonstrare studet. E numero servorum philosophantium est et fieri potest, ut adulescentis paedagogus fuerit, quod e sermone eius concludi potest[1]. Forsitan partes eius eaedem fuerint atque Getae, servi Phormionis Terentianae (cf. Phorm. 71 sq.) et filius patre absente ei custodiendus et educandus fuerit[2].

Praeterea ex fragmentis a scriptoribus veteribus conservatis nonnulla afferenda sunt. — Servum pluribus verbis magni-

1) cf. Legrand, Daos p. 559 sq. 2) cf. Kretschmar, l. s. s. p. 76 sq.

ficis et paene tragicis philosophantem invenimus in fr. 531 (K III 155):

εἰ γὰρ ἐγένου σύ, τρόφιμε, τῶν πάντων μόνος,
ὅτ' ἔτικτεν ἡ μήτηρ σ', ἐφ' ᾧ τε διατελεῖν
πράττων ἃ βούλει καὶ διευτυχεῖν ἀεί,
καὶ τοῦτο τῶν θεῶν τις ὡμολόγησέ σοι,
ὀρθῶς ἀγανακτεῖς· ἔστι γάρ σ' ἐψευσμένος
ἄτοπόν τε πεποίηκ'. εἰ δ' ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς νόμοις
ἐφ' οἷσπερ ἡμεῖς ἔσπασας τὸν ἀέρα
τὸν κοινόν, ἵνα σοι καὶ τραγικώτερον λαλῶ,
οἰστέον ἄμεινον ταῦτα καὶ λογιστέον.
τὸ δὲ κεφάλαιον τῶν λόγων, ἄνθρωπος εἶ,
οὗ μεταβολὴν θᾶττον πρὸς ὕψος καὶ πάλιν
ταπεινότητα ζῷον οὐδὲν λαμβάνει.
καὶ μάλα δικαίως· ἀσθενέστατον γὰρ ὂν
φύσει μεγίστοις οἰκονομεῖται πράγμασιν,
ὅταν πέσῃ δέ, πλεῖστα συντρίβει καλά.
σὺ δ' οὔθ' ὑπερβάλλοντα, τρόφιμ', ἀπώλεσας
ἀγαθά, τὰ νυνί τ' ἔστι μέτριά σοι κακά.
ὥστ' ἀνὰ μέσον που καὶ τὸ λοιπὸν [δὴ] φέρε.

Servi quoque philosophantis verba sunt ero dicta (fr. 155, K III 45): τρία γάρ ἐστι, δέσποτα,
δι' ὧν ἅπαντα γίνετ', ἢ κατὰ τοὺς νόμους,
ἢ ταῖς ἀνάγκαις, ἢ τὸ τρίτον ἔθει τινί.

Herois servus, Davus ni fallor, philosophatur verbis fragmenti 209 (K III 60 = K² fr. 2 p. 7):

δέσποιν', Ἔρωτος οὐδὲν ἰσχύει πλέον,
οὐδ' αὐτὸς ὁ κρατῶν ⟨τῶν⟩ ἐν οὐρανῷ θεῶν
Ζεύς, ἀλλ' ἐκείνῳ πάντ' ἀναγκασθεὶς ποιεῖ.

Contra servus ipse edoceri videtur fragmentis 481 et 649.

Aliquot in fragmentis vitia commemorantur, quae servorum propria esse iam supra intelleximus. Nonnunquam servi propter pigritiam obiurgantur. Pigrum servum, qui onus ferre non vult, dominus indignatur verbis fr. 420 (K III 122):

⟨οἴμοι⟩ τάλας, ἕστηκας ἔτι πρὸς ταῖς θύραις
τὸ φορτίον θείς; σιτόκουρον ἄθλιον,
ἄχρηστον εἰς τὴν οἰκίαν εἰλήφαμεν.

Similiter alius servum inertem et nequam esse queritur (fr. 244, K III 70). Servum a poetis comicis saepius in scaenam pro-

ductum, servum dico levem et infidum, qui nihil pensi habet, conscientiam opprimit, domino luxurioso aut verba dat aut furtum facit, se ipsum ad furandum admonet, in fragmento invenimus 580 (K III 176):

τί διακενῆς εἶ χρηστός; * ὁ δεσπότης
αὐτὸς † ἀπολλύει πάντα, σὺ δὲ μὴ λαμβάνεις,
σαυτὸν ἐπιτρίβεις, οὐκ ἐκεῖνον ὠφελεῖς.

Strabo, dum agit de intemperantia servorum Thraciorum, nobis tradidit Menandri haec fragmenta (547 et 548, K III 166 sq.):

πάντες μὲν οἱ Θρᾷκες, μάλιστα δ' οἱ Γέται
ἡμεῖς ἁπάντων (καὶ γὰρ αὐτὸς εὔχομαι
ἐκεῖθεν εἶναι τὸ γένος), οὐ σφόδρ' ἐγκρατεῖς
ἐσμέν.
γαμεῖ γὰρ ἡμῶν οὐδὲ εἷς εἰ μὴ δέκ' ἢ
ἕνδεκα γυναῖκας, δώδεκ' ἢ πλείους τινές.
ἂν τέτταρας δ' ἢ πέντε γεγαμηκώς τις ᾖ,
καταστροφὴ γῆς, ἀνυμέναιος ἄθλιος,
ἄνυμφος οὗτος ἐπικαλεῖτ' ἐν τοῖς ἐκεῖ.

Quibus versibus a poeta indolem et naturam Thracum, imprimis servorum fideliter expressum esse tradit: λέγει Μένανδρος περὶ αὐτῶν (τῶν Γετῶν), οὐ πλάσας, ὡς εἰκός, ἀλλ' ἐξ ἱστορίας λαβών.

In fr. 69 (K III 23) Sosiam, servum 'Αρρηφόρου fabulae, insaniae incusat aliquis ridiculum in modum.

Caput IV.

Servi partes postquam enarravimus apud Menandrum ipsum atque poetas priores et comicos et tragicos, quaerendum nobis est, quos auctores Menander secutus sit servi in persona describenda. Primum autem agemus de poetis comicis, deinde de poetis tragicis.

§ 1.

In Heroe Menandrea Getam, qui scurra est, conservum illudentem et quaestionibus suis ad narrandum commoventem vidimus. Has autem partes servi iam apud Aristophanem in-

venimus in partibus Niciae Equitum et Sosiae Vesparum et Pacis. Hac quoque re Menandri et Aristophanis prologi inter se congruunt, quod alterius servi, qui apud Aristophanem argumentum dicit, partes maiores sunt.

Sed in fabula Menandrea argumentum ipsum postea ab Heroe narratur[1]). Hoc autem servorum prologo, quod Aristophanis ipsius ex verbis colligitur, vis inest comica antiquorum ludorum popularium[2]). Geta Davum irridet et quaerit, quid ei acciderit, cum tantopere sit perturbatus. Hoc quoque popularium ludorum usum redolet[3]).

Frequens est in comoediis Menandreis servi callidi persona, qui duplices habet partes: nam fallaciis et dolis suis dominum ipsum defraudat, erili autem filio, cuius gratia fallacias illas struit, fidelis est. Servum autem fallacem iam in ludis popularibus et in media comoedia egisse isdem ex versibus Aristophaneis et ex Persa Plautina apparet. Aliis in fabulis alia initia partium servi callidi insunt. In Vespis enim Sosias Bdelycleonem contra patrem adiuvat et ipse agit in scaena illa scurrili iudicii, qua pater a filio et servo decipitur sicut senex stupidus comoediae neoatticae. Praeterea iam in prologis Equitum, Vesparum, Pacis servi agunt loco dominorum, qui in fabulis antiquioribus ipsi partes bomolochi habent. In Equitibus Demosthenes sicut permulti servi callidi etiam auctor actionis est, quod Demosthene auctore Nicias Paphlagoni librum oraculorum clam surripit et Demosthenes, postquam fore Paphlagon a botulario ut vincatur legit, Agoracritum botularium commovet ad certamen cum Paphlagone ineundum. Idem postea ab Agoracrito, cum superior ille discesserit, praemium petit sicut servus Menandreus, qui propter ministeria, quae fecit utilia, manumittitur. In comoediis, quae fallacias servorum continent, plerumque servus callidus primas partes agit et in rebus agendis auctor et princeps est, non adulescens, qui auxilio eius utitur. Iam apud Aristophanem Liber et Xanthias scurrilem in modum partes mutaverant et Cario Pluti in parte ultima loco domini cum Mercurio egerat.

Etiam in moribus servi Menandrei cum servis Aristo-

---

1) cf. K² p. XVI. 2) cf. Suess, Rhein. Mus. LXV, 1910, p. 447, Pac. 739 sqq., p. 7 sq. 3) cf. Pac. 744 sqq.

phaneis congruunt. Cum Liber mollis sit et segnis, Xanthias callidus et versutus est et in rebus agendis magis virum se praebet quam dominus ipse (Ran. 480 sqq.), hac quoque re servi callidi similis. Praeterea iam apud eum invenimus insolentiam adversus dominum (486, cf. Vesp. 1489, Pl. 45 sqq.) et confidentiam in rebus dubiis (498 sqq., 637 sqq.). Confidentiam haud minorem invenimus apud Carionem Pluti (45 sq.) et ille quoque petulans lingua est et insolens dignitate domini nimis neglecta (ib.). Servi militum, Getas Odiosi et Sosias Periciromenae, haud raro insaniam queruntur dominorum (p. 82, 84). Hoc iam apud Carionem invenimus in prima scaena Pluti. Praeterea Sosias sicut erus gloriosus est, qua in re optime consentit Lamachi Acharnensium cum ministro. Servi Menandrei velut Davus Periciromenae saepe furandi cupidi sunt. Artificio hoc satis scurrili antiquae comoediae poetae haud minus usi erant — conferas narrationem Carionis (p. 20), — quod ad Doriensium fabulam redire apparet ex vasculis Phlyacum supra commemoratis.

Apud Plautum neque apud Terentium servi, quod iam veteres adnotaverunt grammatici, saepius spectatores alloquuntur. Hac in re Plautum novae comoediae poetas secutum esse ex papyro Cairensi apparet, nam Onesimus eodem modo ad spectatores se convertit (503 S^2 = 466 K^2). Menander autem et novae comoediae poetae secuti sunt poetarum comicorum usum, quem apud servos Aristophaneos invenimus in prologis Equitum, Vesparum, Pacis, ubi alter servus spectatoribus argumentum dicit fabulae. Quem usum antiquiorem esse fabulis Aristophaneis huius ipsius ex verbis intellegitur.

Idem dicendum est de servo, qui vapulat, quem non modo invenimus apud Menandrum ipsum (Sam. 334), sed etiam apud Aristophanem (Vesp. 1292 sqq., cf. Plut. 271 sq.) et saepissime in scurrilibus illis ludis popularibus (Pac. l. s. s.).

In Epitrepontibus legimus (35 sq.):

ἐ]ν νυκτὶ βουλὴν δ', ὅπερ ἅπασι γίνεται,
διδοὺς ἐμαυτῷ διελογιζόμην. —

Tales scaenae, in quibus persona aliquis sicut hic Davus servus nobis narrat, quid secum consideraverit, apud Menandrum et Terentium non raro inveniuntur veluti Sam. 30: πρὸς αὑτὴν φησιν, Peric. 297, Ter. Andr. 82, 110, 125, et magna voce se

considerare nobis dicunt Parmeno Samiae (300) et Onesimus Epitrepontum (347). Hanc quoque consuetudinem apud Aristophanem invenimus Xanthiae in narratione argumenti fabulae, qui de ero dicit (Pac. 67):

ἔφασκε γὰρ πρὸς αὐτὸν ἂν ταδί. etc.

Davus Agricolae feminas se animadvertisse primo dissimulat et, postquam aliquot versus secum locutus est, eas salutat. Similiter agunt Xanthias et Trygaeus (Pac. 1052 sqq.) et in Avibus Pisetaerus, qui ministros cenam parare iubet, se deos non aspexisse fingit (1179 sqq.).

Stichi in exitu servi diem festum agunt potatione hilari, cui amica interest, quae saltando amatores delectat. Simili modo in Persa ambo servi, postquam leonem emunxerunt, victoriam partam una cum meretrice redempta celebrant. Potatio servorum iam apud Aristophanem exstat, nam in Equitibus Demosthenes conservum domo cadum vini furari iubet et mentem irrigant ita, ut Demosthenes inveniat consilium salutare, quo invento rursus potant[1]).

Lydi, paedagogi et morosi et gloriosi laudem educationis et disciplinae priscorum temporum supra legimus. Haec quoque narratio, quae cum argumento fabulae vix cohaeret sed ad ingenium paedagogi describendum facta est, ab antiqua comoedia originem ducit[2]) et comparanda est Iustae Rationis cum oratione (Nub. 961 sqq.), qua singulae occupationes diei simili modo atque a Lydo Bacchidum enumerantur. Sententias ipsas similes apud Aristophanem praeterea invenimus Aeschyli in laude temporis praeteriti (Ran. 1065 sqq.) et Equitum in parabasi chori (565 sqq.). — Menandrum antiquae comoediae loco communi et in argumento et in rebus singulis usum esse videmus. Aut Aristophanem secutus est aut poetas, qui ipsi quoque comicorum antiquiorum vestigia presserunt eosque sectati sunt, quod diiudicari non potest. — Alterius quoque novae comoediae poetae versus hoc loco commemorandi sunt, Philemonem dico, a quo Plautus Trinummum expressit. Qua in fabula Stasimus simili modo mores temporis praeteriti comparat cum moribus temporis sui (1028 sqq.). Etiam res singulae similes sunt et Trinummi v. 1034:

1) cf. p. 10, Prehn, l. s. s. p. 19. 2) cf. Fraenkel, l. s. s. p. 91 sqq.

'Scúta iacere fúgereque hostis móre habent licéntiam' conferendus est Pacis cum v. 1185 sq.

ταῦτα δ' ἡμᾶς τοὺς ἀγροίκους δρῶσι, τοὺς δ' ἐξ ἄστεως
ἧττον, οἱ θεοῖσιν οὗτοι κἀνδράσιν ῥιψάσπιδες.

Praeterea Stasimus de legibus malis queritur sicut nescioquis Platonis fragmento 22 (K I 605 sq.). — Itaque non modo Menandrum sed etiam Philemonem in oratione paedagogi gloriosi et servi philosophantis antiquae comoediae poetas imitatos esse apparet. Sed hoc loco res aliter se habet atque locis supra allatis, quod servi posterioris partes ortae non sunt ex partibus servi Aristophanei, sed aliarum personarum antiquae comoediae. Hoc exemplo iterum, quod apud partes domini et servi Aristophanei cognovimus, in comoediis posterioribus servum partes habere efficitur, quas antea alia persona habuerat.

Quaerentibus nobis, quos auctores Menander secutus sit servorum in partibus, agendum quoque est de sermone.

Convicia, quae leguntur apud poetas comicos et Graecos et Romanos, collegit Alb. Müller[1]), qualia ex papyro Cairensi afferenda sunt haec[2]), quae iis, quae exstant apud Aristophanem, simillima sunt:

τρισκατάρατος (Epitr. 646 S^2 = 540 K^2)
σκατοφάγος (Peric. 204, fr. 825, K III 222)
λαικάστρια (Peric. 235)
δυστυχής (Epitr. 1)
ἱερόσυλος (Ep. 551 S^2=504 K^2, 666 S^2=560 K^2, 688 S^2 =582 K^2, Sam. 333)
ἱερόσυλα θηρία (Peric. 176)
ἐργαστήριον (Epitr. 149)

quae omnia aut a servis aut a meretrice aut ad servos dicta sunt. Ex fragmentis addenda est locutio μυόχοδος γέρων (fr. 430, K III 125) quam plebis propriam esse iam Benoît animadvertit[3]) et quae antiquam comoediam redolet. — Sed apud Aristophanem eiusmodi conviciis ceterae quoque personae

1) D. Schimpfwörter i. d. griech. Kom., Philol. LXXII, 1913, p. 321 sqq., — D. Schimpfwörter i. d. röm. Kom., ib. p. 492 sqq.

2) ib. p. 332 sqq.

3) Essai historique et littéraire sur la comédie de Ménandre, Paris. 1854, p. 217 adn. 2.

utuntur, non solum servi aut domini, qui cum servis colloquuntur. Menander his iocis scurrilibus nisi servorum aut meretricum in partibus usus non est.

Idem dicendum est de detestationibus[1]), quibus apud Menandrum eri utuntur, qui servos obiurgant; afferendae sunt hae:

Epitr. 207: ὡς τὸν φράσαντα ταῦτά μοι κακὸν κακ[ῶς
ὁ Ζεὺς ἀπολέσαι.

Peric. 206: ἄπαγ' ἐς κόρακας.

Georg. 53: Philinna dicit ad Davum conversa:
ἀλλ' ἐκκορηθείης σύ γ', οἷα τἀγαθὰ
ἥκεις ἐπαγγέλλων.

non ad servos dicta sunt verba Sam. 229. Magni autem momenti est, quod apud Menandrum (Epitr. 11) detestationem invenimus a Smicrine sene ad servos dictam

ὦ κάκιστ' ἀπολούμενοι

qua Aristophanes utitur saepius (Ach. 924, Pl. 713, 456, Av. 1467). Itaque Menandri usum in rebus scurrilibus cum antiqua comoedia coniunctum esse et ab ea originem ducere liquet.

In comoedia Menandrea saepius easdem formulas adhiberi atque in antiqua comoedia demonstravit Kochius exemplis usus iis, quae pertinent ad introductionem personarum comicarum[2]). Exemplum afferatur hoc: Cario Pluti et Onesimus Epitrepontum isdem utuntur verbis (Pl. 1097, Ep. 644 S^2=538 K^2): τίς ἔσθ' ὁ κόπτων τὴν θύραν; Cum hae formulae non modo apud servos sed etiam apud ceteras personas inveniantur et aliis locis, quibus tantummodo unum aut duo verba leguntur velut προσέρχεται[3]), alterum poetam alterum secutum esse confirmare non possimus, quod fieri potest, ut uterque poeta ex sermone cotidiano hauserit, hac de re copiosius agendum nobis non est. Tamen Menandrum consuetudinem et artem antiquae comoediae in sermone secutum et nonnunquam verbis ipsis Aristophanis usum esse patet.

Etiam in nominibus Menandrum sicut ceteros novae comoediae poetas antiquam comoediam secutum esse ex exemplis colligi potest his:

Παρμένων: Men., Sam., fr. 407, K III 119, fr. 481, III 138.
fr. 649, III 191

1) cf. ib. p. 335 sqq. 2) l. s. s., cf. p. 5. 3) ib. § 11, p. 38.

	Terent., Eun. Ad.
	Aristoph., Eccles. 868.
Σωσίας:	Men. fr. 69, K III 23; 292, K III 82
	Aristoph. Vesp. 136.
Lydus:	Plaut., Bacchid.
	titulus Antiphanis (K II 70, fr. 146) et Λυδοί titulus Magnetis comoediae (K I 8, fr. 3), Aristoph. Av. 1244 [1]).

§ 2.

Servi callidi partes duplices esse et scurram illum astutum et dolosum iam in fabulis Aristophaneis et in ludis popularibus exstitisse supra diximus. Sed servus callidus praeterea familiaris est erilis filii. Haec autem fides apud servos Aristophaneos rara est, quamquam commemoranda est Pacis scaena, in qua servus Trygaeum ab incepto insano arcere studet et Pluti scaena prima, in qua Cario ab ero nominatur πιστότατος καὶ κλεπτίστατος (27), neque servum fidelem a Theophilo, mediae comoediae poeta (fr. 1, K II 473) productum esse neglegendum est. Xanthias autem Ranarum delectatur incommodis Liberi et ingenium servorum Aristophaneorum optime intellegitur ex colloquio Xanthiae et ministri Pluti supra allato (p. 18). Sed apud Euripidem servi saepe familiares et consiliorum socii sunt et eos, qui primas partes agunt, adiuvant [2]) sicut in comoediis Menandreis adulescentum, qui amant, socii fideles. Talis administer amantis haud aliter atque adulescens amans ipse ab Euripide sumptus est, minime ab Aristophane, apud quem non invenitur. Lampadionis autem Cistellariae persona etiam magis consentit cum familiaribus Euripideis. Phanostrata Cistellariae puellam peperit et exponendam dedit Lampadioni, servo paterno et fideli, qui eam in hippodromo proiecit. Has partes familiaris Menander a poeta tragico sumpsit, apud quem saepe nutrix fidelis infantem filiae regis exponit velut Euripidis in Alopa [3]) et in Melanippa philosopha [4]).

1) Cf. Suess. diss. p. 118 adn. 4, C. Schmidt, D. griech. Personennamen b. Plautus, Herm. XXXVII, 1902, p. 195, 199, 207.

2) cf. Ahlers, D. Vertrautenrolle i. d. griech. Trag., diss. Giss. 1911, p. 7, 54 sqq., 62, 66. 3) cf. T. G. F. Nauck [2], p. 389.

4) Supplem. Euripid. ed. J. ab Arnim. p. 25 sq.

Lampadio, quod puellam a femina ablatam esse animadvertit, postea in fabula ipsa eram, cum filiam quaerat olim expositam, adiuvat. Hoc quoque ad tragoediam revocandum est et iam apud Sophoclem simili ratione nuntiis pastorum origo Oedipi detecta erat.

In comoediis Menandreis saepius in scaenam producuntur paedagogi, quos eriles filios educavisse plerumque occasione aliqua data comperimus. Lydum autem Bacchidum paedagogum esse severum ex primis verbis eius cognoscitur. Huius paedagogi persona de origine Suidae locus afferendus est hic (s. v. Νεόφρων). Νεόφρων . . . πρῶτος εἰσήγαγε παιδαγωγούς, et in tragoedia eam fuisse supra vidimus: Est eadem Euripidis in Phoenissis et Medea (cf. p. 27). Itaque novam comoediam cum tragoedia posteriore coniunctam esse evidens est. Qua de re ut recte iudicare possimus, nos partium paedagogorum Euripideorum et ea reminisci opus est, quae de Lydo, cuius in moribus a Menandro 'alazon doctus' antiquae comoediae descriptus est, supra enarravimus (p. 89 sq.). In partibus paedagogi ipsis poetas tragicos secutus est, sed quod comoedias scripsit, ex paedagogo tragico paedagogus comicus, ut ita dicam, factus est.

Cum paedagogis satis consentiunt servi philosophantes, quos saepissime apud Menandrum invenimus. — Quod servorum de condicione aliter iudicat Euripides et servos humaniter tractandos esse confirmat [1]) et apud eum servus, quia ipse quoque homo est, magis aestimatur, non raro more hominum liberorum philosophatur [2]). Cuius rei demonstrandae causa multi afferendi sunt loci, Med. 85 sqq., 119 sqq., 1018, Hippol. 250 sq., Androm. 818 sq., 851 sq., Hel. 711 sqq., 744 sqq., Iph. Aul. 31 sqq., Phoen. 198 sqq., El. 489 sqq., 551, Ion. 854 sqq., 1046 sq. Similia extitisse videntur in fabulis, quae inscriptae erant 'Ἱππόλυτος καλυπτόμενος, Αἴολος, Αὐγή, Σθενέβοια, Ἀνδρομάχη, Δανάη, Μελανίππη ἡ σοφή, Σκύριαι; praeterea fragmenta commemoranda sunt Alexandri 48 et 51 (Nck.[2]), Archelai 251. Permagnae sunt partes servi philosophantis apud Euripidem et poeta ipse se hac in re abhorrere sibi conscius

---

1) Quod exemplis probavit Schmidtius, l. s. s., fasc. III passim; cf. Decharme, Euripide et l'esprit de son théâtre, Paris. 1893 p. 169 sqq.

2) cf. Schmidt, l. s. s. p. 4, supra p. 26 sq.

est ab arte morum describendorum usitata[1]) et se defendit, quod personas fabularum, praecipue feminas et servos, ea verba dicentes induxit, quae cum partibus ipsis minime consentiant (Hel. 513 sq., Melan. fr. 483 N. = Suppl. Eur. fr. 2 p. 27 = Aristoph. Lys. 1124). Si antiquam et mediam comoediam spectamus, aliter philosophari videmus servos Menandreos et Euripideos, aliter servos Aristophaneos et mediae comoediae, qui aut de sorte servi queruntur (Plut. 1 sqq.) aut nugas dicunt (cf. Alex. fr. 25 et Antiph. fr. 86, supra p. 32). Aristophanem ipsum servi philosophantis personam repudiavisse et Euripidem, quod eam induxit, irrisisse colligitur Acharnensium ex versibus supra allatis (398 sqq., p. 9). Cum servo philosophante Euripideo optime consentire Menandreum Epitrepontum intellegi potest e scaena ultima, in qua Onesimus more philosophorum loquitur. Neque enim sententiae eius ipsae ridiculae sunt neque serviles, sicut apud poetas comicos priores, cum doctrina sit philosophorum illis temporibus clarissimorum, sed ridiculum in modum Onesimus eas profert ad Smicrinem illudendum. Itaque, quod ad philosophiam servorum attinet, Menandrum poetae tragici artem secutum esse manifestum est. — Davus Agricolae (77 sqq.) et Parmeno (fr. 405) philosophantur et uterque paupertatem ruri facilius quam in urbe tolerari posse dicit. Sed mores duorum servorum, qui eodem modo philosophantur, satis diversi sunt. Qua ex re sententias ipsas servorum philosophantium non cum ingenio et moribus eorum consentire efficitur sed locos esse illas communes, quibus multi uti possunt. Carionis Pluti autem verbis nemo uti potest nisi servus, qui sortem suam queritur. Philosophia servi Aristophanei ex partibus et ingenio eius ipso orta est, non item philosophia servi Menandrei, quae, ut ita dicam, surculus est alienus.

Onesimum, quamquam ingenio est callido, tamen ad argumentum et exitum fabulae ipsum non tantum valere vidimus quantum plerosque servos callidos. Scaenam autem illam lepidissimam et elegantem, in qua Habrotonon meretrix dolum excogitat et communicat cum servo, qui astutiam eius admiratur et se stupidum esse dolet, suo iure Sehrtius ad artem Euripideam revocandam esse contendit[2]), nam similes scaenae,

1) cf. J. Schmidt, Euripid. Verhältn. z. Komik u. Kom., Grimm. 1905, p. 33. 2) De Menandro Euripid. imitat., diss. Giss. 1912, p. 24.

in quibus femina dolum excogitat, apud Euripidem sunt in Iphigenia Taurica (1029 sqq.) et in Helena (1049 sqq.). Menandrum imprimis hanc Helenae scaenam secutum esse vel ea de causa veri similius est, quod Helena Euripidea magnopere dissentit a fabulis tragicis antiquis et gravibus atque comoediae similior est et in argumento ipso et in rebus singulis[1]). Etiam oratio Onesimi abhorrere mihi videtur a sermone servi comici et aptior esse ad tragoediam, maxime in versibus 340 sqq. Itaque ex arte Euripidis scaenam hanc singularem, in qua femina sollertiorem se praebet servo, qui ipse ineptum et inscitum se esse dolet, intellegendam esse videmus. Persona servi, qui meretrice callida inferior est et ab ea etiam decipitur, saepius a Menandro descripta est. Hoc apparet Eunuchi Terentianae ex personis Parmenonis et Pythiae. Atque Parmeno re vera est stupidus, Onesimus inscitum se esse magis fingit. Praeterea Propertii afferendus est locus, quo poeta scaenam similem spectat (IV 5, 41 sqq.):

'Nec te Medeae delectent probra sequacis
(Nempe tulit fastus ausa rogare prior),
Sed potius mundi Thaïs pretiosa Menandri,
Cum fecit astutos comica moecha Getas.'

Inde ab antiquae comoediae temporibus nuntiorum in narrationibus poetae comici saepius poetas tragicos secuti sunt[2]), veluti Aristophanes Pluti in scaena supra descripta[3]), apud quos nuntii primum verbis paucis rem ipsam proferunt, quam postea multis versibus enarraturi sunt. Menandrum quoque poetas tragicos nuntiorum in partibus secutum esse demonstrari potest Stichi ex versibus 274 sqq., ubi Pinacium venit reditum Epignomi erae nuntiaturus[4]). Simulatque in scaenam prodit, antequam eram invenit, multa praefatur gravibus usus verbis sicuti nuntius tragicus (274 sqq.). Sermone ipso abhorret a personis comicis artificiis usus tragicorum, veluti postea in nuntio ipso verbis multis neque inter se coniunctis.

---

1) Qua de fabula suo iure dicit Leo (Pl. F.² p. 165): 'Wer die Brücke sucht, die von Euripides zur νέα führt, kann getrost von der Helena aus seinen Weg nehmen.'

2) cf. Fraenkel, l. s. s., Cap. I: De nuntiorum comicorum narrationibus. 3) 627, cf. Fraenkel, p. 10 sq.

4) cf. supra p. 81 sq., Fraenkel, l. s. s. p. 40.

Tragicorum quoque consuetudinis est verba ipsa, quae antea dicta sunt, iterum afferri (370). Haud aliter colore tragico narratio est nuntii Naucleri (fr. 348, K III 101), qui initium facit Troadum Euripidis cum versu primo, neque melius Menander ipse nobis indicare potuit se talibus in scaenis imitari poetam tragicum. Et nuntius ipse, qui affertur, similis est nuntii tragici. Primum enim ille rem, quam nuntiaturus est, breviter indicat et de ea primum paucis verbis agit, deinde eandem copiose enarrat Idem fere genus est nuntii a Syro Heautontimorumeni allati [1]). Etiam e re singulari Euripidis artem et usum intellegere possumus: Clitopho quaerit (272):

'quae namst áltera?'

sed Syrus, quod hoc nihil ad rem est, dicit:

'Mane: hóc quod coepi prímum enarrem, Clítipho:
Post ístuc veniam.'

Neque aliter res se habet Euripidis in Iphigenia Taurica (1311 sqq.):

ΘΟΑΣ. τί προσδοκῶσαι κέρδος ἢ θηρώμεναι;
ΑΓΓ. αὖθις τὰ τῶνδε σημανῶ· τὰ δ' ἐν ποσὶ
παρόντ' ἄκουσον.

At apud Aristophanem Carion verbis mulieris (Pl. 664):

ἦσαν δέ τινες κἄλλοι δεόμενοι τοῦ θεοῦ;

ad narrationem nihil fere ad rem pertinentem commovetur (665 sqq.). — A nuntiis tragicis abhorret nuntius comicus, qui aut servus aut parasitus est et cursu in scaenam prodit. Animum eius, cui nuntium allaturus est, erigit et verbis tectis et occultis de nuntio loquitur iucundo. Spe alterius diu attenta denique rem ipsam nuntiat. Eiusmodi autem nuntius est Pinacii, quod iam supra (p. 81 sq.) vidimus. Unde apparet Menandrum nuntium tragicum non imitari sed Pinacium ioci causa, ut scaena scurrilior fiat, paratragoedantem induci.

In Epitrepontibus Onesimus perterritus in scaenam proruit (494 sqq. S^2 = 457 sqq. K^2) et dominum, qui se infantis spurii patrem esse comperit, insanire et furore captum esse spectatores certiores facit. Charisius paulo post ipse domo exit et furorem et iracundiam eius ex soliloquio intellegimus (524—548 S^2=487—501 K^2). Cum his duobus soliloquiis a

1) 269 sqq., cf. Fraenkel, l. s. s. p. 42.

Leone[1]) Alcestidis Euripideae soliloquia duo comparata sunt (747—772, 773—802), quorum primo minister nobis narrat Herculem hilarem esse et cantare et potare, deinde ille ipse venit et ex verbis eius ministrum verum dixisse intellegitur. Itaque cum scaenae Alcestidis et Epitrepontum compositione tantopere consentiant, dubitari vix potest, quin Menander Euripidis artem scaenicam secutus sit. — Sed quod ad argumentum attinet, soliloquium Onesimi cum alia scaena comparandum est. Orestis Euripideae scaenam, in qua servus Phrygius timore perterritus accurrit et ea, quae intus facta sunt, spectatoribus narrat, supra descripsimus (p. 28). Phrygis cum partibus Onesimi soliloquium multis locis congruit. Uterque servus in scaenam prorumpit ira et furore domini — qui Orestes est apud Euripidem — perterritus tantopere, ut nesciat. quid faciendum sit et quomodo periculum effugere possit. Uterque tantopere perturbatus est, ut primis ex verbis eius, quid domi factum sit, intellegi non possit; postea rem pluribus verbis narrat sed, cum dominus veniat, celeriter effugere conatur. — Menander artificio servi consternati utitur eodem quo Euripides. Euripides et Menander servum ea de causa in scaenam produxerunt, ut spectatoribus res intus factas nuntiet, sed scaenae ipsae servi partibus efficaciores redditae sunt. Utraque scaena stilo mixto scripta est, scaena Orestis similior est comoediae, tragoediae similior Epitrepontum scaena. Uterque poeta, cum scaenam nimis grandem scribere nollet, servi partibus scurriliorem eam fecit.

Iam supra (p. 73 sq.) Perinthiae Menandreae in fragmento novo servum ad aram confugere diximus, similiter atque Tranionem Mostellariae Plautinae atque puellas Rudentis, et dominum iratum inde eum depellere conari[2]). Apud Aristophanem exstat scaena similis in Thesmophoriazusis (688 sqq.), ubi Mnesilochus ad aram confugit[3]). Hanc autem scaenam Aristophanes non ipse excogitavit sed Euripidem ea illusit, quod et

1) D. Monolog i. Drama, Abhandl. d. Kgl. Ges. d. Wiss. zu Gött., phil.-hist. Kl., N. F., X 5, 1908, p. 83 sq.; cf. Sehrt, l. s. s. p. 23.

2) De partibus supplicum ad aram confugientium quaesiverunt: A. Dieterich, l. s. s. p. 9 sqq., Leo, Pl. F.² p. 159 sq., Frid. Schmidt, l. s. s., Prehnius, l. s. s. p. 38, 46, Schildius, l. s. s. p. 49 sq., 89.

3) cf. Schmidt, l. s. s. p. 24 sq., 94 sq.

ex argumento intellegitur huius scaenae atque fabulae ipsius et scholiastae Aristophanis verbis confirmatur, apud quem legimus (Ach. ad v. 332): τὰ δὲ μεγάλα πάθη ὑποπαίζει τῆς τραγῳδίας, ἐπεὶ καὶ ὁ Τήλεφος κατὰ τὸν τραγῳδοποιὸν Αἰσχύλον, ἵνα τύχῃ παρὰ τοῖς Ἕλλησι σωτηρίας, τὸν Ὀρέστην εἶχε συλλαβών. παραπλήσιον δέ τι καὶ ἐν ταῖς Θεσμοφοριαζούσαις ἐποίησεν· ὁ γὰρ Εὐριπίδου κηδεστὴς Μνησίλοχος ἐπιβουλευόμενος παρὰ τῶν γυναικῶν ἀσκὸν ἁρπάσας παρά τινος γυναικὸς ὡς ἂν παιδίον ἀποκτεῖναι βούλεται. Itaque agendum nobis est de supplicum ad aram confugientium partibus apud poetas tragicos, imprimis apud Euripidem. Iam apud Aeschylum in Supplicibus Danai filiae ad aram confugiunt, unde κῆρυξ eas depulsurus est (882 sqq. Weil.) et similes scaenae sunt in Septem fabula (cf. 94 sqq.) et in Eumenidibus (40 sqq., 242 sqq.). Apud Sophoclem in Oedipo Rege cives Thebani ramis supplicum exornati ad aras deorum confugiunt (1 sqq.)[1]. Tales scaenae saepius inveniuntur apud Euripidem, et in fabulis, quae diem non tulerunt, in Alexandro, Telepho, Dictye, Thyeste, Alcmena, et fabularum e numero, quae nobis conservatae sunt, in Ione (1312 sqq.), Helena (64 sq. 797 sqq.) Supplicibus (267), Andromacha (257), Heraclidis (67 sq., 267), Hercule furente (240 sqq., 284 sqq.). Ad nostram autem quaestionem pertinent verba (Suppl. 267 sq.):

ἔχει γὰρ καταφυγὴν θὴρ μὲν πέτραν,
δοῦλος δὲ βωμοὺς θεῶν.

quibus imprimis servo ad aram confugiendum esse confirmatur. Duabus in fabulis supplicibus homo aliquis minatur et igni eos de ara depellere conatur, in Hercule furente (240 sqq., 285) et in Andromacha (257). Quod saepius factum esse in scholio legimus ad Andromachae versum adscripto: ὅτι ἔθος ἦν πῦρ προσφέρειν τοῖς εἰς βωμὸν καταφεύγουσιν. Hoc loco imago commemoranda est, in qua scaena depicta est Alcmenae[2]), qua in fabula Amphitryo et Antenor Alcmenam, quae in ara supplex sedet, igni crematuri sunt. Artificem hac in scaena tragoediam neque comoediam depinxisse vel ex habitu et vestitu personarum intellegitur. Hanc fabulam Alcmenam fuisse Eu-

---

1) cf. Schmidt, l. s. s. p. 9 sq., 12 sqq.
2) cf. Schmidt, l. s. s. p. 21 sqq.

ripideam Rudentis apparet e v. 86 sqq., quibus commemoratur tempestas Alcmenae fabulae, qualem a pictore vasculi depictam videmus. Tales scaenae, in quibus supplices igni appetuntur, frequentes erant apud poetas tragicos et iam apud Aeschylum (l. s. s.) inveniuntur neque miramur, quod Aristophanes eas secutus est Thesmophoriazusarum in versibus 688 sqq., quam scaenam ad poetas tragicos illudendos in comoediam inseruit. Raro inveniuntur apud posteriores neque in fragmentis neque in scaenis Menandreis excepta sola Perinthiae scaena, quam fabulam ex prioribus esse Menandreis constat. In Perinthia hoc artificio usus est scurrilem in modum, in fabulas posteriores magis perfectas inseruisse non videtur scaenas supplicum ad aram confugientium; neque enim apud Terentium leguntur, qui, poetam Graecum ni fallor secutus, eas repudiavit, nam in Heautontimorumeno Chremes ad Syrum, cuius fallaciae detectae sunt, dicit (975 sq.):

'Né te admisce: némo accusat, Sýre, te: nec tu arám tibi
Néc precatorém pararis.'

Exstabant autem apud poetas, quos Plautus in Mostellaria (cf. 1094 sqq.) et in Rudente (cf. 688 sqq., 760 sqq.) secutus est. Rudentem a Diphilo expressit (cf. 32 sq.), Mostellariam ad Φάσμα Philemonis revocandam esse verisimile est[1]. Quamquam Euripides ipse (Suppl. 267) has scaenas servis aptas esse dixit, tamen in fabulis eius tales personae, quales aut primas aut magnas agunt partes, ad aram confugiunt[2]: quod in comoediis plerumque servi faciunt, et quia fecerunt re vera Athenis et quia servi apud poetas comicos saepe primas agunt partes, quas egerunt in tragoediis antiquorum temporum viri fortissimi et feminae illustres. Quibus rebus fabulas tragicas et comicas inter se differre iam supra intelleximus. Poetae autem comici, quod magni momenti est, alius alio modo his scaenis utuntur, valde scurrilem in modum Menander adulescens, cuius scaena antiquam comoediam redolet ita, ut a poeta illo eleganti alienam eam esse confirmaverit Leo, nec iure quod supra vidimus (p. 74). Sed posterioribus in comoediis, quarum stilus elegantior est, has scaenas, quae plerumque ad argumentum

1) cf. Leo, Herm. XVIII 1883, p. 560 sqq.
2) cf. Schmidt, l. s. s. p. 35 sqq.

ipsum minoris momenti sunt, omnino non adhibuit. Philemon quoque scurrilem in modum Tranionem ad aram confugientem facit. Neque apud Diphilum servus callidus ad aram confugit, sed Rudentis in scaena, quae tragoediae cum stilo magis consentit quam comoediae, supplices sunt ambae puellae, quas leno persequitur sacrilegus. Quod quamquam argumento ipso fabulae efficitur, in qua non exstant servi callidi partes, tamen Diphilum magis secutum esse apparet poetas tragicos. Idem de Rudente et ex hac scaena et ex aliis argumentis conclusit Leo[1]).

Epitrepontum scaenam, in qua ambo servi apud Smicrinem litigant et ille Syrisco infantem atque crepundia adiudicat, et in argumento et in rebus singulis ad Alopam Euripideam redire intellegitur Hygini ex fabula 187[2]): 'Alope Cercyonis filia formosissima cum esset, Neptunus eam compressit, qua ex compressione peperit infantem, quem inscio patre nutrici dedit exponendum. Qui cum expositus esset, equa venit et ei lac praestabat. Quidam pastor equam persecutus vidit infantem atque eum sustulit. Qui veste regia indutum cum in casam tulisset, alter compastor rogavit, ut sibi eum infantem donaret; ille donavit sine veste. Cum autem inter eos iurgium esset, quod qui puerum acceperat, insignia ingenuitatis reposceret, ille autem non daret, contendentes ad regem Cercyonem venerunt et contendere coeperunt. Ille autem qui infantem donatum acceperat, repetere insignia coepit. Quae cum adlata essent et agnosceret Cercyon ea esse ex veste scissa filiae suae, Alopes nutrix timens regi indicium fecit infantem eum Alopes esse. Qui filiam iussit ad necem includi, infantem autem proici.' — Sed Schildius Menandrum in scaena arbitrii Diphilum, qui scaenas similes in Rudente et in Vidularia scripsisset, secutum esse putat[3]) imprimis, quod in Rudente scaena cum argumento fabulae et cum anagnorismo optime coniuncta est, in Epitrepontibus minus arte cum argumento cohaeret[4]). Neque tamen hanc scaenam ex Alopa Euripidis

---

1) Pl. F.[2] p. 160 sq. 2) cf. Fischl, Herm. XLIII 1908, 311 sq., K[2] p. XXV sq., Schrt, l. s. s. p. 20 sqq. 3) l. s. s. p. 62 sqq.

4) cf. imprimis p. 64: 'Während die ganze Gerichtsszene im Rud., aus der vor allem auch der Titel der Komödie genommen ist, völlig in die Handlung eingepasst ist, und so aus ihr herauswächst,

sumptam esse negat[1]). Sed Vidulariae scaena, quod mutilata est neque hanc fabulam a Diphilo expressam esse constat, a quaestione removenda est. Quamquam re vera scaena Rudentis melius quam scaena Epitrepontum cum argumento coniuncta est, tamen opinionem Schildii probari posse nego. Magni enim momenti esse puto, quod Epitrepontum scaena multo maiore arte quam scaena Rudentis facta est, quod Schildius ipse non negat[2]). Nam apud Diphilum complures scaenas legimus, primum Gripi canticum, qui gaudio exsultat, quod vidulum invenit (906—938), deinde rixam Trachalionis et Gripi (938—1044), tum demum scaenam (1045—1190), in qua servi apud Daemonem causam agunt et senex Palaestram filiam suam esse comperit. Sed Menander spectatores, ut ita dicam, in medias res ducit et servos inducit eo tempore, cum arbitrum sumere constituunt. Haec Diphili scaena multo minus est elegans, quod Trachalio solus a sene interrogatur et Gripus, cum ipse quoque rem suam agere velit, saepius sermonem interrumpit haud sine argutiis et spurcitiis (1073 sqq.), ut Daemones tacere eum iubeat (1084, 1089, 1117 sq., 1125). Multo elegantius in Epitrepontibus uterque servus loquitur et Syriscus, quod festinans est, semel interrumpit (30). In Epitrepontibus Davus sententia communi ad causam suam dicendam utitur (κοινὸς Ἑρμῆς 100 sqq.), quae a Syrisco breviter sed optime refutatur. In Rudente autem servi de simili sententia communi multis verbis et multis argutiis, ne dicam ambagibus, disputant ('Máre quidem commúne certost ómnibus': 976—1000). — Itaque Menandri scaenam elegantissimam ex Euripidis scaena simul et ex scaena multo minus eleganti Diphili originem ducere nego. Solam ad artem Euripideam revocanda est et ex ea optime intellegitur, quomodo poeta comicus Euripidem secutus et argumento tragoediae in comoedia usus sit.

Canticum Chrysali, qui dolos suos cum expugnatione Troiae comparat, iam supra commemoravimus (p. 63). Quo

---

dass das Auftreten der Sklaven und ihr Streit um die crepundia für den Verlauf der Handlung unbedingt erforderlich ist, erscheint diejenige der Epitr. deutlich als Einlage. Wir erkennen somit, dass die Szene des Diphilus derjenigen Menanders als Vorbild gedient hat.'

1) p. 64 adn. 4. 2) l. s. s. p. 66.

in cantico Chrysalus 'proterve ludit, colores, quibus poetae tragici Troiae interitum depingere solent, ad comoediae ridicularia detorquendo'[1]). Versus ipsi (933 sqq.) Ennii cum cantico, quo Andromacha et Priami et patriae interitum deflet (Enn. fr. 81 sq. Ribb.), congruunt et Menandrum eadem tragoedia, quam vertit Ennius, usum esse apparet[2]). Sed hoc loco aliter res se habet atque Epitrepontum in scaena supra allata, nam in Epitrepontibus Menander artem Euripidis secutus est, in Bacchidibus autem, haud aliter atque Aristophanes, poetae tragici versibus scurrilem in modum usus est, τὰ τραγικὰ μεταρρυθμίζων ἐς τὸ γελοῖον.

Saepius in comoedia Menandrea servus, plerumque servus callidus, quod bene meruit, libertate donatur. Hac quoque in re, ab antiqua comoedia aliena, Euripides princeps et auctor est[3]), quod Heraclidarum intellegitur ex versibus, quos Alcmena ad ministrum dicit, qui bonum nuntium affert (788 sq.):

ὦ φίλταθ', ἥδε σ' ἡμέρα διήλασεν
ἠλευθερῶσθαι τοῖσδε τοῖς ἀγγέλμασιν.

Nuntio autem allato minister eam de promisso, quod antea fecit, admonet, sicut servus, qui post exitum felicem fallaciarum praemium consequi cupit (888 sqq.):

ἀλλ', ὦ γεραιά, χαῖρε καὶ μέμνησό μοι
ὃ πρῶτον εἶπας, ἡνίκ' ἠρχόμην λόγου,
ἐλευθερώσειν μ'. ἐν δὲ τοῖς τοιοῖσδε χρὴ
ἀψευδὲς εἶναι τοῖσι γενναίοις στόμα.

Sed huius quoque rei initium iam apud Aristophanem esse vidimus (cf. p. 11).

Periciromenae v. 182 sqq. ostiarius Sosiam, qui domum Myrrhinae intrare cupit, introitu prohibet. Simili modo Onesimus Smicrini domum intraturo moras facit (631 sqq. S² = 535 sqq. K²)

(Sm.) ἡ θύρα παιητέα·
κεκλειμένη γάρ ἐστι. παῖδες. παιδίον·
ἀνοιξάτω τις. παῖδες, οὐχ ὑμῖν λέγω;
(On.) τίς ἔσθ' ὁ κόπτων τὴν θύραν; ὦ, Σμικρίνης
ὁ χαλεπός, ἐπὶ τὴν προῖκα καὶ τὴν θυγατέρα
ἥκων.

---

1) Kiessling, l. s. s. p. 14. 2) Kiessling, p. 15.
3) cf. Schild, l. s. s. p. 49.

Sehrtius nos admonet de scaenis Plautinis et Terentianis, in quibus senex a servo aditu prohibetur[1]). Tales scaenas ab Euripide sumptas esse putat et cum iis comparat Helenae versus 437 sqq., quos anus dicit ad Menelaum:

τίς πρὸς πύλαισιν; οὐκ ἀπαλλάξῃ δόμων
καὶ μὴ πρὸς αὐλείοισιν ἑστηκὼς πύλαις
ὄχλον παρέξεις δεσπόταις; ἢ κατθανῇ
Ἕλλην πεφυκώς, οἷσιν οὐκ ἐπιστροφαί.
(Me.) ὦ γραῖα, ταῦτα, ταῦτ᾽· ἐπεὶ καλῶς λέγεις.
ἔξεστι, πείσομαι γάρ· ἀλλ᾽ ἄνες λόγον.
(An.) ἄπελθ᾽. ἐμοὶ γὰρ τοῦτο πρόσκειται, ξένε,
μηδένα πελάζειν τοισίδ᾽ Ἑλλήνων δόμοις.

Praeterea Iphigeniae Tauricae scaena afferenda est, in qua ministrae nuntium ad regem admittere nolunt et verbis dolosis ac mendaciis amovere conantur (1284 sqq.).

Saepius personae apud poetas tragicos et comicos eodem modo in scaenam producuntur. Apud Euripidem non raro duae prodeunt personae, quarum altera persona propositum aliquid exsequi vult, altera eam impedire studet, velut Hippolytus et nutrix Hippol. i. v. 601 sqq., quibuscum comparanda est Bacchidum scaena (109 sqq.), in qua Lydus Pistoclerum, qui ad amicam aditurus est, increpat et retinere conatur. — Medio in sermone personae in scaenam prodeunt Euripidis Iphigeniae Taur. v. 67 et Iphigeniae Aul. v. 303 sqq. Hac quoque in re usus Menandri cum poeta tragico consentit et eodem modo secum collocuti sunt, antequam in scaenam prodierunt, Parmeno et coquus in Samia (68), Sosias et Moschion in Periciromena (77), Syrus et Dromo in Heautontimorumeno (242), Hegio et Geta in Adelphis (447), Davus et Syriscus in Epitrepontibus[2]).

Sermonem comicum interdum sermonis tragici similem esse iam dixit Horatius (A. P. 93 sq.):

'Interdum tamen et vocem comoedia tollit
Iratusque Chremes tumido delitigat ore.'

(cf. serm. I 4, 48, Ter. Heaut. 1036). Etiam Menander in sermone poetas tragicos nonnunquam secutus est servorum in partibus. Quod optime intellegitur Onesimi ex soliloquio, quod

1) l. s. s. p. 29. 2) 1 sq., cf. Leo, Herm. XLIII 1908, p. 128.

iam supra cum locis Euripideis comparavimus, qui spectatoribus paenitentiam et iram Charisii contra se ipsum tragicis fere verbis describit (494 sqq. S^2 = 457 sqq. K^2) et, cum dominum appropinquantem audiverit, terrore commotus exclamat (523 = 486): Ζεῦ σῶτερ, εἴπερ ἐστὶ δυνατόν, σῶζέ με. Cum sermone tragico consentiunt locutiones hae [1]):

509 (472): βρυχηθμός, cf. Soph. Oed. R. 1265:
δεινὰ βρυχηθείς.

521 (484): οἴχομαι, cf. Aeschyli Suppl. 786 (Weil.):
οἴχομαι φόβῳ.

Itaque poetam artificia sermonis tragici servi in soliloquium inseruisse apparet. Praeterea Davi Epitrepontum ex verbis v. 19:

μετρίῳ γε συμπέπλεγμαι ῥήτορι·

comparandus est Euripidis Baccharum cum v. 800 [2]):

ἀπόρῳ γε τῷδε συμπεπλέγμεθα ξένῳ.

In nominibus personarum nihil fere commune est poetis comicis cum poetis tragicis, quibus nomina personarum, quae primas partes agunt, tradita erant carmine epico, personis autem, quae minoris momenti sunt, saepe omnino nomina non tribuuntur. Contra poetis comicis argumentum, personae, nomina personarum invenienda sunt, quod ipse dicit Antiphanes verbis (fr. 191, K II 90 sq.):

μακάριόν ἐστιν ἡ τραγῳδία
ποίημα κατὰ πάντ', εἴ γε πρῶτον οἱ λόγοι
ὑπὸ τῶν θεατῶν εἰσιν ἐγνωρισμένοι,
πρὶν καί τιν' εἰπεῖν· ὥσθ' ὑπομνῆσαι μόνον
δεῖ τὸν ποιητήν.
— — — — — —
— — — — — —
17 ἡμῖν δὲ ταῦτ' οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ πάντα δεῖ
εὑρεῖν, ὀνόματα καινά, τὰ διῳκημένα
πρότερον, τὰ νῦν παρόντα, τὴν καταστροφήν,
τὴν εἰσβολήν. ἂν ἕν τι τούτων παραλίπῃ
Χρέμης τις ἢ Φείδων τις, ἐκσυρίττεται·
Πηλεῖ δὲ ταῦτ' ἔξεστι καὶ Τεύκρῳ ποιεῖν.

1) cf. Croiset, Rev. d. Et. Gr. XXI 1908, 306 sq. 2) ib. p. 249.

Caput V.

Reliquum nobis est, ut quaeramus, quid servorum ex partibus de arte Menandri intellegi possit.

§ 1.

Atque primum quidem de sermone agemus et spectabimus, quid sermonis servorum proprium sit et quomodo poeta sermone ipso servos descripserit. Menandrum in sermone artem modo Aristophanis modo Euripidis secutum esse iam supra demonstravimus (p. 90 sq., 104). Omnino in sermone novae comoediae poetarum multum inesse constat vulgare et sermonis cotidiani proprium [1]). Quod imprimis dicendum esse de sermone servorum probare conabimur.

Hoc loco verba commemoranda sunt supervacanea [2]): Verbo ἐπιεικῶς utitur Onesimus Epitr. 206 et 212. Eodem modo voce θᾶττον utuntur servi Epitrepontum (154) et Periciromenae (174), sed aliae quoque personae (Sam. 229, 313, 334; Peric. 276).

Onesimus dicit, ut tempus accurate denotet (Epitr. 335 sq.):

ἐν δὲ τῷ παρόντι νῦν
ἴδωμεν, εἰ τοῦτ' ἔστιν.

Eodem loco nominandae sunt ὑπερβολαί, quibus utuntur et servi et homines de pebe [3]):

Geta,	Her. 1 sq.:	κακὸν . . παμμέγεθες.
Syriscus,	Epitr. 184 sq.:	ἀποσφαγείην [π]ρότερον ἂν δήπουθεν ἢ | τούτῳ [τ]ι κ[α]θυφείμην.
Habrotonon,	Epitr. 216:	θεῖον δὲ μισεῖ μῖσος ἄνθρωπ[ό]ς μέ τι.
Coquus,	Sam. 149:	κέκραγε γοῦν παμμέγεθες.
Parmeno,	Sam. 69 sq.:	ἱκανὸς γὰρ εἶ λαλῶν κατακόψαι πάντα.

Contra haud rarius servi sermone utuntur abrupto [4]):

1) cf. A. Thumb, Handbuch d. griech. Dialekte, Heidelberg. 1909, p. 375 sq., 380. 2) cf. Ph. E. Legrand, Rev. d. Etud. Anc. X 1908, p. 26. 3) cf. Legrand, Daos p. 333.

4) Multa exempla affert M. Croiset in commentario Epitr., Rev. d. Et. Gr. XXI 1908, p. 246 sqq., Legrand, Daos p. 337 sq.

Syriscus, Epitr. 4: τίς οὖν; sc. κριτὴς ἔστω.

Davus, 23: μικρόν γ' ἄνωθεν.

36 sq.: ἐμοὶ | τί παιδοτροφίας καὶ κακῶν; verbum deest. cf. 38.

44: τί γάρ; ἐγώ.

53 sq.: ὅλην τὴν [ἡ]μέραν | κατέτριψε. deest participium δεόμενος, cf. Demosth. c. Eubul. 9: κατέτριψε τὴν ἡμέραν δημηγορῶν καὶ ψηφίσματα γράφων.

68: μόνου δ' εὑρόντος sc. ἐμοῦ.

Syriscus, 90: σὺ δ' ἐπόησάς με δούς = σὺ δ' ἐπόησάς με κύριον τοῦ παιδίου δοὺς τὸ παιδίον.

Habrotonon, 267 sq.: εὐπρεπής τις ⟨sc. ἦν⟩, ὦ θεοί,
καὶ πλουσίαν ἔφασάν τιν' ⟨sc. εἶναι⟩.

299: κατιδών μ' ἔχουσαν ⟨sc. τὸν δακτύλιον⟩.

Aliis locis in verbis ipsis nihil deest, sed, quod dicendum est, non omne dicitur aut breviter spectatur:

Syriscus dicit 100 sq.: μηδὲ ἓν
εὕ]ρισχ', ὅπου πρόσεστι σῶμ' ἀδικούμενον.

ubi dicendum est: ... minimo iure te aliquid invenisse confirmare potes, ...

96 sq.: τί οὖν τότε,
ὅτ' ἐλάμβανον τοῦτ', οὐκ ἀπήτουν ταῦτά σε;

neque adversarium haec verba contra se ipsum dicere posse Syriscus indicat.

104 sq.: τραφεὶς ἐν ἐργάταις
ὑπ]ερόψεται ταῦτ', i. e. τὸν τῶν ἐργατῶν βίον.

Adverbium exstat pro enuntiato ipso: 197 sq.:
(On.) αὔριον δέ. (Sy.) καταμενῶ.
αὔριον. (Aliter interpunxit Koertius.)

Breviter dicit Onesimus 240: νυνὶ δ' ὑπόνοιαν καὶ ταραχὴν ἔχει.
sc. τὸ προσφέρειν τοῦτον.

Onesimus dicit 235 sq.: κατὰ λόγον
ἐστὶν βιασμὸν τοῦτον εἶναι παρθένου.

ubi τοῦτον dictum est pro τοῦτο et significat: id, quod evenit.

303: ἄριστά γ' ἀνθρώπων sc. οἶσθα ταῦτα.

336: ἴδωμεν, εἰ τοῦτ' ἔστιν,
τοῦτ' = id, quod conicimus.

Saepius servorum in sermone ordinem verborum invenimus inusitatam et satis neglectam:

Syriscus 13 sq.: ἀλλ' ὅμως — τὸ πρᾶγμ' ἐστὶν βραχὺ
καὶ ῥᾴδιον μαθεῖν — πάτερ, δὸς τὴν χάριν.

Davus 40: ἦλθεν οὗτος — ἐστὶ δ' ἀνθρακεύς —
59 sq.: τὰ τότε συνεκτεθέντα τούτῳ — μικρὰ δὲ
ἦν ταῦτα καὶ λῆρός τις, οὐθέν — ἀξιοῖ
ἀπολαμβάνειν,
68 sq.: μόνου δ' εὑρόντος. οὐ παρὼν τ̣[ότε
ἅπαντ' ἔχειν οἴει σὲ δεῖν, ἐμὲ δ' οὐδὲ ἕ]ν;

Onesimus 234 sq.: Ταυροπολίοις ἀπώλεσεν τοῦτόν ποτε
παννυχίδος οὔσης καὶ γυναικῶν.

Habrotonon 307 sq.: τοῦ διαμαρτεῖν μηδὲ ἓν
προτέρα λέγουσ'.

Afferendi hoc loco sunt Epitrepontum v. 90 sqq.:

90 νῦν γνωστέον,
βέλτιστε, σοὶ ταῦτ' ἐστίν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ,
τὰ χρυσί' ἢ ταῦθ' ὅ τι ποτ' ἐστί, πότερα δεῖ
κατὰ τὴν δόσιν τῆς μητρός, ἥτις ἦν ποτε,
94 τῷ παιδίῳ τηρεῖσθ', ἕως ἂν ἐκτραφῇ,
ἢ τὸν λελωποδυτηκότ' αὐτὸν ταῦτ' ἔχειν,
εἰ πρῶτος εὗρε τἀλλότρια. τί οὖν τότε,
ὅτ' ἐλάμβανον τοῦτ', οὐκ ἀπῄτουν ταῦτά σε;
οὔπω παρ' ἐμοὶ τότ' ἦν ὑπὲρ τούτου λέγειν.

Quibus versibus poeta concitationem animi et festinationem servi depinxit. Recte Legrandius [1]) de eis dicit: 'Ce développement est clair, correct. Mais, bien qu'il ait une certaine étendue, il manque pourtant d'ampleur et, en quelque sorte, de rotondité; chaque vers fait avancer d'un pas, pour ainsi dire, l'expression de la pensée; on dirait que l'orateur n'a pas pu embrasser d'un coup d'œil tout ce qu'il avait à exposer et qu'il le découvre par fragments.'

Multae ex fragmentis novis afferendae sunt locutiones populares, quibus imprimis utuntur servi aut homines de plebe.

κερμάτιον, Her. 7, 33 (Geta, Davus) = peculium.

λῆρος, Ep. 60 (Davus), Peric. 198 (Sosias), = res parvi momenti.

---

1) Daos p. 336.

χολάω, Epitr. 176 (Syriscus), Sam. 201 (?) (Niceratus?).
ἀπέσκλη, Her. 30 (Davus), = propter inopiam mortuus est.
εἰ] μή τι καταπέπωκε, Epitr. 151 (Syriscus) = nisi quid clam removit.
τὸ πέρας, Epitr. 70 (Davus), 316 (Habrotonon), 507 (S² = 470 K²) (Onesimus), Phasm. 39, Georg. 49 (Davus).
κατακόπτεις γέ με = vexas me, Sam. 77 (Parmeno).
ὅμοιον εἰπεῖν, = fere, Epitr. 654 S² (= 548 K²) (Onesimus).
λέγ' ὃ λέγεις, Epitr. 298 (Onesimus).
πρὶν πτύσαι = momento temporis, Peric. 202 (Sosias), cf. Carionis Pluti verba ad multibibam anum dicta 737: καὶ πρίν σε κοτύλας ἐκπιεῖν οἴνου δέκα.
τὸ δεῖνα Peric. 145 (Davus), Sam. 202 (Niceratus).
πάξ, Epitr. 593 (S² = 517 K²) (Onesimus).
λέμφος, Epitr. 344 (Onesimus).
ἀπόπληκτος, Epitr. 344 (Onesimus).
παχύδερμος, Epitr. 680 (S² = 574 K²) (Onesimus).
ἐργαστήριον, Epitr. 149 (Syriscus) cf. Terent. Phorm. 373.

Formae vulgares pronominum, quae in litteram i finiunt, saepius inveniuntur apud servos in fragmentis novis:
οὑτοσί, vicies bis apud servos (Epitr. 77, 82, 85, 103, 167, 169, 170, 189, 230, 359, 671 (S² = 565 K²); 159, 309, 356, Per. 229, Georg. 63, Epitr. 249, 297; 169, 187, Phasm. 48, Peric. 143); apud ceteras personas decies septies.
τοιουτοσί et τοιουτονί ter apud servos (Epitr. 29, 39, 228) ter apud ceteras personas;
ἐνθαδί et a Davo Her. (21) et a Demea Samiae (242) usurpatur.

Servi saepius vocibus utuntur raris et inusitatis:
συναπαιτῶ, Epitr. 89 (Syriscus).
στριφνός, Epitr. 168 (Syriscus).
βλέπειν, Epitr. 181 (Syriscus) = in animo habere.
πανούργως καὶ κακοήθως, Epitr. 318 (Onesimus).
μέτριος = haud spernendus, Epitr. 19 (Davus).
μέλημα = puella amata, Peric. 214 (Sosias).
διαφόρως, Epitr. 333 (Onesimus), Peric. 72 (Davus).
χαριέντως ἐκνενευκέναι, Epitr. 355 (Habrotonon).

παράγειν, Sam. 67 (Demeas), Epitr. 188, 194 (Syriscus), Peric. 275 (Polemon), Sam. 80 (Parmeno).
συνάγειν, Epitr. 195 (Onesimus), Peric. 55 (Sosias), Her. 7 (Geta).
συντίθεσθαι, Epitr. 288 (Habrotonon).
περιέχεσθαι, Epitr. 289 (Habrotonon).

Idem dicendum est de versibus Georg. 35 sq.:

ἀγρὸν εὐσε[βέστερον] γεωργεῖν [οὐδ]ένα
οἶμαι [1])

quibus Davus quasi aenigma solvendum proponit spectatoribus. Verborum et sententiarum argutias, quibus saepissime utuntur servi Plautini, apud Menandrum non invenimus, nisi Syrisci in oratione (Ep. 102):

οὐχ] εὕρεσίς τοῦτ' ἔστιν ἀλλ' ἀφαίρεσις.

Substantivis abstractis servi et meretrix saepius utuntur:

cf. Ep. 102. δὸς τὴν χάριν Epitr. 14 (Syriscus).
κατὰ τὴν δόσιν τῆς μητρός, Epitr. 14 (Syriscus).
τῶν πρότερόν μοι μεταμέλει | μηνυμάτων, Ep. 205 sq. (Onesimus).
οὐκ ἔνεστιν οὐδὲ εἷς
παρ' ἐμοὶ μερισμός. Epitr. 243 sq. (Syriscus).
ἂν συναρέσῃ σοι τοὐμὸν ἐνθύμημ' ἄρα, Ep. 295 (Habrotonon).
Onesimus: καὶ καταλαμβάνεις
διαλλαγὰς λύσεις τ' ἐκείνων τῶν κακ[ῶ]ν, Ep. 674 sq. (S^2 = 568 K^2)
νυνὶ δ' ἀναγνωρισμὸς αὐτοῖς γέγονε καὶ
ἅπαντ' ἀγαθά. Ep. 687 sq. (S^2 = 581 sq. K^2) (Onesimus).
οὐ γέγ]ονε[ν] εὐτύχημα μεῖζον οὐδὲ ἕν. Ep. 696 (S^2 = 590 K^2) (Smicrines). cf. Sam. 273 (Moschion).

Menandrum ante ceteros novae comoediae poetas verba inter se non coniungere et saepe oratione uti, quae appellatur ἡ διαλελυμένη λέξις Demetrius rhetor animadvertit Περὶ ἑρμηνείας, § 193: ἐναγώνιος μὲν οὖν ἴσως μᾶλλον ἡ διαλελυμένη λέξις, ἡ δ' αὐτὴ καὶ ὑποκριτικὴ καλεῖται, κινεῖ γὰρ ὑπόκρισιν ἡ λύσις. γραφικὴ δὲ λέξις ἡ εὐανάγνωστος. αὕτη δ' ἐστὶν ἡ συνηρτημένη καὶ οἷον ἠσφαλισμένη τοῖς συνδέσμοις. διὰ τοῦτο δὲ καὶ Μένανδρον ὑποκρίνονται λελυμένον ἐν τοῖς πλείστοις, Φιλήμονα δὲ ἀναγινώσκουσιν. — Hoc quoque maxime dicendum est de ser-

---

1) cf. Legrand, Daos 598.

mone servorum, si excitati sunt aut perturbati, veluti Davus Epitr.:

33 sq.: ἀ]νειλόμην, ἀπῆλθον οἴκαδ' αὔτ' ἔχων·
τρ]έφειν ἔμελλον. ταῦτ' ἔδοξέ μοι τότε.

39 sqq.: ἐποίμαινον πάλιν
ἕωθεν· ἦλθεν οὗτος — ἐστὶ δ' ἀνθρακεύς —
εἰς τὸν τόπον τὸν αὐτὸν ἐκπρίσων ἐκεῖ
στελέχη· πρότερον δ' ἐμοὶ συνήθης ἐγεγόνει.

53 sqq.: Δ. ὅλην τὴν [ἡ]μέραν
κατέτριψε. λιπαροῦντι καὶ πείθοντί με
ὑπεσχόμην. ἔδωκ'. ἀπῆλθεν μυρία
εὐχόμενος ἀγαθά· λαμβάνων μου κατεφίλει
τὰς χεῖρας.

Onesimi ex soliloquio perterriti afferendus est versus 509 (S^2 = 472 K^2): βρ[υ]χηθμὸς ἔνδον, τιλμός, ἔκστασις συχνή.

Davus res singulas enumerat (Georg. 58 sqq.):

ὁ δὲ σὸς υἱὸς οἷον[εὶ
νομίσας ἑαυτοῦ πατέρα, ποι[ήσ]ας [ἃ δεῖ
ἤλειφεν, ἐξέτριβεν, ἀπέν[ι]ζεν, φαγεῖν
προσέφερ[ε], παρεμυθεῖτο, πάνυ φαύλως ἔχει⟨ν
δ[ό]ξ[α]ντ' ἀνέστησ' αὐτὸν ἐπιμελούμενος.

Eodem loco nominanda sunt verba saepius iterata, quae iam adnotavimus Davi in oratione. Similiter dicit Onesimus

Ep. 494 sq. (S^2): ὑπομαίνεθ' οὗτος, νὴ τὸν Ἀπόλλω, μαίνεται,
= 457 sqq. (K^2) μεμάνητ' ἀλ[η]θῶς, μαίνεται, νὴ τοὺς θεούς.

Saepius personae, quae quid narrant, verba aliorum afferunt ipsa:

Davus Epitr. verba, quae ipse et Syriscus dixerunt (36 sqq. 44 sqq.),

Onesimus verba Charisii: 207 sq., 504 (S^2=467 K^2), 506 sq. S^2 (= 469 sq. K^2), 510 sqq. S^2 (= 473 sqq. K^2),

Habrotonon iam verba profert, quae Charisio dictura est (300 sq., 310 sq.),

Davus verba Myrrhinae (129 sqq. Peric.)

Demeas Samiae verba mulieris (12, 27 sq., 37 sq., 41 sq., 45 sq.).

Itaque hoc quoque artificium, quod a Legrandio appellatur [1]):

1) Daos p. 340.

'un procédé de la rhétorique populaire', sermonis servorum imprimis proprium est.

Quibus ex exemplis Menandrum servorum in partibus magis reddidisse efficitur plebis sermonem et voces. Neque omnes personas neque omnes servos eodem modo dicentes fecit, veluti blandior et elegantior oratio est servi in fabula, quae inscripta est Γεωργός[1]). Sermone Menander optime personas describere scit, velut Onesimi bonos mores vel ex versibus 684 sqq. ($S^2 = 578$ sqq. K^2) intellegimus:

τότε γὰρ οὑμὸς δεσπότης
τοῖς Ταυροπολίοις — (Σ.) Σωφρόνη. (Ο.) ταύτην λαβὼν
χορῶν ἀποσπασθεῖσαν — αἰσθάνει γε;

et Sosiae impudentiam ebrii ex verbis (Peric. 232 sqq.) supra (p. 83) allatis. Idem animadvertit Donatus, qui poetam petulantiam et superbiam servorum sermone ipso depinxisse adnotat (I 465, 6 sqq., Eun. ad v. 926): 'Cum dicere deberet »quod ei amorem difficillimum et carissimum confeci«, primo quasi oblitus dicti superioris transiit ad virginem, deinde addidit »eam« ex abundanti. quod ⟨si⟩ dixisset »amorem confeci«, posset intellegi »confeci« expedivi, perfeci. at vero »virginem confeci« quid intellegemus nisi hoc unum, quod insultanter Parmeno confectam virginem quasi dicat superatam atque devictam pro alio? nam proprie hoc verbum convenit gladiatoribus his, qui gravissimis vulneribus occubuerint. sic Cicero in Catilinam (II 11, 24): »gladiatori illi confecto et saucio«. Convenit ergo servilibus verbis et velut ioco se verniliter iactanti et rem confectam esse in puella virgine et non exhiberi Chaereae damnum vel negotium.' — Alio autem loco Terentium servi in verbis honestum observavisse dicit (I 65, 15 sq., ad Adelph. v. 284): 'Honeste explicavit turpe dictu'. — Neque vero fabulis palliatarum scriptorum hac in quaestione nobis utendum est, neque Terentii neque Plauti, quos in oratione magis abhorrere constat quam ulla alia in re ab exemplaribus Graecis. Quod optime apparet ex claro illo loco Gellii (II 23), qui Plocium Menandri et Caecilii comparat compluribus versibus allatis.

---

1) cf. Kretschmar, l. s. s. p. 39, 41: 'Davus, qui urbanissimae studeat dictioni et elegantissimae.'

Itaque Menandri artem elegantem et lepidam servorum ex sermone ab eo reddito cognoscere possumus. Neque vitam cotidianam nimis imitatus abhorruit ab usu et arte poetae, neque sermonem neglexit servorum in moribus describendis. Hac autem in re Euripide superior est, qui, quod in sermone parum respexit servorum condicionem et mores, iam ab Aristophane derisus est (Ach. 397 sqq. cf. supra p. 9). Sed Menander aemulis quoque superior erat, quod conclusit Koertius ex fragmento papyraceo [1]), cuius sermo minus est elegans et, sicut dicit Koertius, esse potest: „eine gute Folie für die individuelle Grösse eines Menander" [2]).

§ 2.

Etiam in nominibus poetae comici, quod Antiphanis ex versibus supra allatis intelleximus (p. 104), artes suas proferre et poterant et debebant. Poetae autem Romani in nominibus usum Graecorum secuti sunt, neque enim nomina Romana apud eos exstant, veluti Marcipor [3]) aut Quintipor [4]), sed nomina Graeca. Nominum servorum comicorum duo invenimus genera, et nomina, quae originem indicant eorum, quibus data sunt, et cognomina plerumque iocularia a nominibus canum et equorum non nimis differentia [5]). Neque servis sunt nomina civium Atheniensium. Donati hoc loco afferenda sunt verba (ad Andr. v. 226, I 98 14 sqq.): „Semper nomina comicorum servorum aut a nationibus sunt indita, ut Mysis Syrus, aut ex accidentibus, ut Lesbia velut ebriosa a Lesbo insula, quae ferax est suavissimi candidissimique vini, aut a moribus et vernilitate, ut Pseudolus, aut ex negotio, ut Chrysalus, aut ex qualitate corporis, ut Thylacus, aut ex specie formae, ut Pinacium". Haec sunt genera nominum, sed in nominibus dandis poetis praecepta observanda erant, quod Donatus nobis dicit verbis (ad v. 1 prol. Adelph., II 12 10 sqq.): „Nomina personarum, in comoediis dumtaxat, habere debent rationem et etymologiam. Etenim absurdum est comicum, ⟨cum⟩ apte argu-

---

1) cf. Herm. XLIII 1908, p. 38 sqq., Pap. Ghoran. II, Schroed. p. 29 sqq. 2) ib. p. 57. 3) Varron. Men. 269, Buech.[5] p. 211. 4) ib. 59 p. 187. 5) cf. U. de Wilamowitz, Aristoteles u. Athen II p. 175 sqq.

menta confingat, vel nomen personae incongruum dare vel officium, quod sit a nomine diversum. Hinc servus fidelis Parmeno, infidelis Syrus vel Geta, miles Thraso vel Polemon, iuvenis Pamphilus, matrona Myrrina et puer vel ab odore Storax vel a ludo et gesticulatione Scirtus et item similia. In quibus summum poetae vitium est, siquid e contrario repugnans contrarium diversumque protulerit, nisi per ἀντίφρασιν ioculariter nomen imponit, ut Misargyrides in Plauto ⟨Most. III 1, 41 = 568⟩ dicitur trapezita. Et fere apud alios hoc modo poetas nomina componuntur per ἀντίφρασιν describentia quod designant." De nominibus a nationibus inditis alio loco dicit (ad Adelph. v. 973, II 182 1 sqq.): „Ut ipse Syrus, ita Phrygia uxor secundum veteres, qui servis nomina a nationibus imponebant". — Itaque primum genus nominum servorum a Donato commemorari videmus nomina populorum barbarorum, veluti Syrum, Lydum, Davum, Getam, Mysidem, quae frequentissima sunt apud poetas comicos, scilicet ea de causa, quod Athenis plerique servi barbari erant his ex terris orti, qui contemnebantur ab hominibus liberis Graecis itemque postea a Romanis [1]). Quae nomina velut Davus, Syrus, deminutiva huius nominis forma Syriscus aliis quoque locis exstant, quos adnotat H. Breitenbachius, qui „De genere quodam titulorum comoediae atticae" disseruit [2]), ad nomina Parmenisci [3]), Dardani [4]), Syri [5]). — Sed nominibus gentium saepe mores indicantur eorum, quibus data sunt. Thraces libidinosi habeban-

1) cf. Wallon, Histoire de l'esclavage, Paris. 1847 I p. 170 sq.; Cicero, pro L. Flacco 27, 65: 'Quam ob rem quaeso a vobis, Asiatici testes, ut, cum vere recordari voletis, quantum auctoritatis in iudicium adferatis, vosmet ipsi describatis Asiam, nec quid alienigenae de vobis loqui soleant, sed quid vosmet ipsi de genere vestro statuatis, memineritis. namque, ut opinor, Asia vestra constat ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia. utrum igitur nostrum est an vestrum hoc proverbium, Phrygem plagis fieri solere meliorem? quid? de tota Caria nonne hoc vestra voce volgatum est, si quid cum periculo experiri velis, in Care id potissimum esse faciendum? quid porro in Graeco sermone tam tritum atque celebratum est quam, si quis despicatui dicitur, ut Mysorum ultimus esse dicatur? nam quid ego dicam de Lydia? quis umquam Graecus comoediam scripsit in qua servus primarum partium non Lydus esset?'

2) Diss. Basil. 1908. 3) p. 63. 4) p. 100. 5) p. 107.

tur, quod iam supra vidimus (p. 86) et idem dicendum est de Lydis (cf. adesp. fr. 720, K III 535). Phryx stultus et timidus esse putabatur imprimis apud poetas comicos, quod Tertulliani ex verbis efficitur (de an. 20, C. Scr. Eccl. L. XX p. 332, 27): „Comici Phrygas timidos illudunt", et Apollodori ex fragmento 6 (III 289):

οὐ πανταχοῦ Φρύξ εἰμι· τοῦ ζῆν ἣν ὁρῶ
κρεῖττον τὸ μὴ ζῆν, χρήσομαι τῷ κρείττονι[1].

Vis nominis cum moribus eius, cui datum est, dissentire non debet. Exempla nobis affert Donatus servi fidelis nomen Parmenonem et servorum fallacium et infidelium nomina Getam et Syrum. Si vis nominis cum moribus personae, cui tribuitur, pugnat, hoc factum est per ἀντίφρασιν: scilicet hac ipsa discrepantia morum et nominis ingenium eius, cui datum est, melius est notandum. Quae verba non modo de comicis Romanis, quorum ad fabulas Donatus ea adnotavit, sed etiam de Menandro dici possunt, apud quem servo fidelissimo Plocii nomen est Parmeno, quod Donatus servi fidelis nomen esse affirmat. Servis autem callidis apud Menandrum saepe nomina sunt barbara, quae Donatus servis esse dicit infidelibus, Syrus et Geta. Sed Heroe in Menandrea servo bonae frugi et fideli nomen est Davus. Et Plautus et Terentius nonnunquam abhorrent ab usu poetarum comicorum, quem animadvertit Donatus, veluti in Bacchidibus servo fideli et magistro severo nomen est Lydus, quod fortasse per ἀντίφρασιν datum est. Donati autem cum verbis pugnare videntur Bacch. v. 649 sqq.:

'Nón mihi istí placent Pármenonés, Syri,
Quí duas aut trís minas aúferunt erís.
Nequius nil est quam egens consili servos, nisi habet
Multipotens pectus: ubiquomque usus siet, pectore expromat suo.'

Chrysalus idem dicit de Syris et Parmenonibus. Quibus ex verbis cum contemptione dictis eum de servis loqui elucet, quos nimis fideles domino esse putat[2]. Itaque ioci causa et Chrysali e sententia Syrus appellatur servus frugi. Qua de causa hi versus minus discrepant Donati cum verbis. Chrysalo

1) cf. de Wyss, D. Sprichwörter bei d. röm. Kom., Diss. Tigur. 1889, p. 24. 2) De nominibus Plautinis egit Schmidtius Herm. XXXVII 1902 p. 173 sqq., 353 sqq., 608 sqq.: cf. p. 199.

enim, servo fallacissimo, Syri illi, qui aliquot minis dominos defraudant, non differre videntur a Parmenonibus, servis fidelibus. Tamen verba eius mira sunt et, ni fallor, παρὰ προσδοκίαν dicta. Terentium quoque semel servi nomen mutavisse nobis traditum est. In Adelphis enim servo frugi nomen est Geta. Qua ex re haec ʻde nominibus eligendis praecepta non necessarium esse religiose a poeta observariʼ conclusit Steinmannus [1]). Vallatius autem [2]) Lampriae Menandrei nomen a Terentio conversum esse commemorat in Micionem ʻper ἀντίφρασινʼ, ut Donati verbis utar. Eadem de causa a Terentio servo fideli nomen Getae datum esse putat. Exemplum praeterea affert Parmenonem Hecyrae, servum neque frugi neque fidelem. Ergo Vallatius nomen Getae servo frugi datum esse eodem modo explicat quo Donatus trapezitae nomen Misargyridis. Quod si recte dictum est, videmus, quam notam et usitatam fuisse oporteat vim nominum servorum. Nam nominis Misargyridis ex vi et usu hoc loco per ἀντίφρασιν id dictum esse facile intellegi potest, neque vero ex significatione ipsa nominis Getae. Itaque hoc nomen, si a Terentio ioci causa servo fideli datum est, usitatissimum fuisse nobis concludendum est servi fallacis et infidelis. Sed utut res se habet, non omnia servorum Terentianorum nomina ad Menandrum referenda esse inde apparet, quod servo Eunuchi Terentianae nomen est Parmeno, qui apud Menandrum appellabatur Davus, quod legitur in scholio ad Persii sat. V 161 (p. 53 Buech. [4]): ʻHunc locum de Menandri Eunucho traxit, in quo D a v u m servum Chaerestratus adulescens alloquitur tamquam amore Chrysidis meretricis derelicto, idemque tamen ab ea revocatus ad illam redit. apud Terentium personae immutatae sunt . . . .ʼ Aliis quoque exemplis nomina personarum Menandri mutata esse demonstrat Vallatius [3]). — Minoris momenti sunt nomina ʻex accedentibus dataʼ neque ullum exemplum ex Menandro sumptum afferri potest. — Pinacii nomen a specie formae datum esse dicit Donatus (cf. p. 112) et hoc nomen apud Menandrum puero fuisse colligi potest Stichi ex v. 271:

ʻSatin út facete | átque ex pictura ástititʼ?

1) De artis poeticae veteris parte quae est περὶ ἠθῶν, diss. Gotting. 1907, p. 69. 2) l. s. s. p. 60 sqq.
3) l. s. s. p. 45 sq.

quo Plautus lusum verborum reddidisse videtur, poeta Graecus quem fecerat cum verbis Πινάκιον et πίναξ. — Saepius invenimus nomina ex negotio data velut apud Menandrum ipsum Onesimum et apud Plautum in Bacchidibus Chrysalum, qui servus aurum procurare erili filio suum esse ipse dicit 229:

'Negótium hoc ad me ádtinet aurárium.'

et 240:

'Haud dórmitandumst: ópus est chryso Chrýsalo.'

et nomine ipso negotium suum significari dicit 703 sq.:

'Céterum quantúm lubet me póscitote aurum: égo dabó.
Quíd mihi refert Chrýsalo esse nómen nisi factís probo?'

Quas facetias Plautum a poeta Graeco sumpsisse perspicuum est.

§ 3.

In capite tertio singulorum servorum et partes et mores enarravimus, quod nobis faciendum erat, cum servi inter se differant omnes fere, veluti servi rustici Epitrepontum, Davus et Syriscus, aut custodes servorum, Parmeno Samiae et Davus Agricolae, aut singuli servi callidi. Nam in fabulis fallacias servorum continentibus condiciones rerum saepe similes sunt: adulescentes amore meretricum capti argento indigent sed, quod patres sunt severi et parci, argento carent. Itaque saepe servi, qui erilibus filiis fideles sint, eos adiuvant et patres defraudant. Qua re servi sunt callidi et fallaces et reliquis suis virtutibus velut audacia, confidentia, facultate simulandi praediti, neque tamen eodem modo omnes, sed hac excepta natura, quae partibus servi callidi ipsis efficitur, singuli inter se differunt. Quod summo cum fructu observatur: unde Menandrum non personas usitatas, 'Typen' sicut nos dicimus, sed homines sui generis descripsisse apparet [1]).

Sed Menander, quod Prehnius ex artificiis scurrilibus demonstrare studuit [2]), in arte sua magis magisque processit. Servum Perinthiae scurram esse et antiquae comoediae artem redolere notum est. Sed Stichus quoque Plautina, Adelphoe II, antiquior Menandri fabula est et ante annum 317 scripta esse videtur [3]) Haec autem fabula comparanda est cum Persa

1) cf. Legrand, Daos p. 224, Schild, l. s. s. p. 70.
2) l. s. s. p. 46 sqq. 3) l. s. s. p. 61.

Plautina, mediae comoediae fabula, maxime in exitu satis simili[1]). In Perinthia a Menandro in scaena, quae ad argumentum ipsum minoris momenti erat, δοῦλος ἀποτιλῶν productus erat ad risum spectatoribus movendum. Adelphoe II actione ipsa paene caret sed dispar et incongrua est, nam in initio fabulae sunt scaenae magna cum arte compositae, quibus Menandrum tragoediam Euripideam imitatum esse verisimile est, in exitu autem, quem cum arte Aristophanea coniunctum esse iam supra diximus (p. 89), servi cum meretrice et tibicine diem festum agunt potando et saltando. Haec scaena valde scurrilis est et recte dicit Prehnius[2]): 'Saltare est summae insaniae ⟨cf. Men. 197 sqq., Ter. Ad., 750 sqq.⟩ . . . . Itaque facile intellegitur, cur servi tantum saltent in scaena apud Plautum in Persa, Sticho, Pseudolo. Neque negari potest tales saltationes cinaedicas iam Atticis in exemplis fuisse.' Utraque in fabula Menandri ars nondum perfecta est neque sui generis, sed scurrilis et in Adelphis scaenae elegantes et scaenae scurriles una in fabula sunt neque eae inter se artius coniunctae. Res autem scurriles servorum in partibus erant. Similiter res se habet in Samia, quae ipsa quoque inter antiquiores Menandri fabulas numeranda et quasi 'in confinio mediae et novae comoediae' est[3]). Etiam in versibus 340, qui nobis papyro redditi sunt, multum inest scurrile velut colloquium servi cum coquo habitum et timor eius ridiculus et confidentia, cum timorem suum vanum fuisse intellexerit (296—312). Tamen paulo post ab adulescente, qui eum, quod iussus erat, exsecutum non esse aegre fert, obiurgatur et vapulat. Omnes hae scaenae satis sunt scurriles. Neque vero neglegendum est non stilum totius fabulae scurrilem esse, sed post Demeae colloquium cum Parmenone habitum senis exstat soliloquium tragici fere coloris, deinde coquus prodit et sequitur scaena parva sed valde scurrilis (68—80, 80—110, 110—141, 142—153). — Bacchides Plautina, Menandri Δὶς ἐξαπατῶν, inter eas numeranda est fabulas, quae a Plutarcho τὰ μέσα appellantur[4]). In Bacchidibus autem ars Menandri quodam modo

1) cf. Schild, l. s. s. p. 51 sq. 2) l. s. s. p. 41.

3) K² p. XXXIII.

4) cf. Compar. Aristoph. et Men., c. 2, p. 853 F, V p. 205 B.: εἰ οὖν πρὸς τὰ πρῶτα τῶν Μενάνδρου δραμάτων τὰ μέσα καὶ τὰ τελευ-

perfectior est, quod omnes scaenae eodem stilo sunt factae et argumentum fabulae unum est: insidiae Chrysali; re vera Chrysalus semper primas partes agit. Multi quamquam insunt in fabula ioci et sales, tamen servi persona artificiis nimis scurrilibus caret. — Aliquot annis post scriptae sunt fabulae Περικειρομένη[1]) et Heautontimorumenos[2]). In Heautontimorumeno res scurriles non inesse et artificium servi ad aram confugientis a poeta repudiatum esse supra vidimus. Sed eodem fere tempore Periciromena facta est. Hanc autem fabulam multo scurriliorem esse personis Davi et Sosiae efficitur, nam Davus multis in scaenis βωμολόχος est, Sosias autem, servus militis et ἄγροικος et ἀλαζών. Ebrius in scaenam venit et obscaene de Abrotono loquitur. Haec a stilo Perinthiae non nimis abhorrent. Itaque iis temporibus, quibus scriptae sunt hae fabulae, quae inter τὰ μέσα habendae sunt, Menandrum artificiis scurrilibus servorum in partibus modo usum esse modo ea repudiavisse videmus. Quod hac ratione explicari posse puto: In Bacchidibus servus primas, in Heautontimorumeno magnas partes habet, in utraque enim fabula doli a servo struuntur. Cum hae servi partes scurriles per se essent, poeta servorum nugas omitti posse putavit. Neque vero argumentum Periciromenae ipsum comicum est sed fabula similior est tragoediae Euripideae et argumento et scaenis singulis[3]). Itaque poetae, ne nimis fabula abhorreat a genere comoediae, artificiis scurrilibus opus est, et ea de causa uterque servus Periciromenae magis est figura scurrilis. In fabulis autem posterioribus ars Menandri maior est et poeta iocos illos scurriles, quantum potuit, neglexit velut in Andria. Itaque

'rara coronato plausere theatra Menandro,' (Martial V 10, 9), nam spectatores quoque Athenienses delectari volebant. Qua de causa etiam in fabulis elegantioribus res et scaenae ioculares insunt servorum in partibus. In Epitrepontibus, quam fabulam clarissimam et elegantissimam a Menandro seniore factam esse negari vix potest[4]), scaena inest, in qua ambo servi de crepundiis infantis disceptant et res Davo ab arbitro

---

ταῖα παραβάλοι τις, ἐξ αὐτῶν ἐπιγνώσεται, ὅσα ἔμελλεν, εἰ ἐπεβίω, καὶ τούτοις ἕτερα προσθήσειν. de Bacchid. cf. p. 61 sqq.

1) a. 305/4, cf. K^2 XLIII. 2) a. 306—302, cf. Prehn, l. s. s. p. 47. 3) cf. diss. Sehrt. p. 24 sqq. 4) cf. K^2 p. XXIX.

abiudicantur. Davus sola hac in scaena agit et Syrisci quoque partes in scaenis posterioribus minimae sunt. Sed haec scaena ipsa cum argumento fabulae minus cohaeret neque ad res agendas rixa servorum aut arbitrio senis opus erat. Itaque hac servorum scaena spectatores Athenienses, quorum nota est litium cupiditas et iam ab Aristophane Vespis fabula illusa, magnopere delectabantur. Atque ea quidem de causa, ut fabula hilarior fiat, Menander hanc scaenam et has personas servorum et magna cum elegantia et magno lepore composuit. Similiter res se habet in Heroe. Hac in fabula, quod antea enarravimus (p. 60), Davus persona est singularis neque reliquis cum servis comparari potest. Qua de causa Menander Getam, scurram illum, introduxit, ut opponeret alteri servo et ut risum moveret spectantibus. Praeterea Davi mores melius eo intelleguntur, quod alter servus tantopere ab eo discrepat. Getam Menander non in scaenam produxit, ut ea ridicula fieret et iocularis, sed ne nimis seria esset et ut in comoedia servum describere posset singularem atque tantopere dissentientem a plerisque reliquis servis. Similiter res se habet aliis in fabulis, velut in Eunucho, ubi Parmeno in scaenis primis nonnumquam iocos aliquot admiscet sermoni serio (cf. 101 sqq., 108, 121).

Ars ludi popularis et antiquae comoediae plane erat iocularis et scurrilis. Sicut servi et reliquae personae omnes fere aut ipsi scurrae sunt et ridiculum in modum descripti, ita antiqua comoedia et arte et argumento et personis omnibus iocularis erat, dei hilaris et vinolenti, cuius ad diem festum scripta erat, ipsa non dissimilis. Sed in comoediis posterioribus Aristophanis vis comica et fervor iuvenilis minores facti sunt. Procedente tempore personae minus ioculares et vitae cotidianae similiores fiunt et in nova comoedia haec ars ad finem quendam perducta est. Qua re nova comoedia antiquae comoediae dissimilior fiebat, similior tragoediae Euripideae. Neque tamen, ne fabula nimis abhorreat a genere comico, res scurriles plane abesse debebant, et inveniuntur maxime servorum in partibus. Duplici autem ratione servi partibus nova comoedia iocularior facta est. Multis in fabulis, in Perinthia, Samia, Adelphis II, Periciromena, Heroe Menander artificiis scurrilibus spectatorum animos delectabat, quibus artem anti-

quae comoediae secutus est. Sed his in fabulis praeter scurras, paene dicam necessarios, aut aliae sunt personae aut scaenae magis seriae aut alii servi producuntur, qui singulari et eleganti arte descripti a personis comicis abhorrent et personarum tragoediae Euripideae similiores sunt velut Davus Herois. — Aliis Menandri in fabulis servus scurra non est neque artificia scurrilia in scaenis servorum insunt, sed argumentum ipsum, maxime in Bacchidibus, partibus servi ioculare fit. Servus iam antiquissimis in fabulis furatus erat et dominum ridiculum in modum deceperat, et in mediae comoediae fabula, in Persa, argumentum versatur in fallaciis servorum, qui lenonem lepidum et iocularem in modum defraudant et primas partes agunt. Hi Persae fabulae servi maxime omnium congruunt cum servis callidis. Sed persona ipsa servi fallacis et callidi, qui in fabula primas partes habet et dominum erilis filii causa argento emungit, ante novae comoediae aetatem non invenitur, nam in Persa servi causa agitur, fabulae autem, in quibus servorum fallacium partes sunt, aguntur domini, id est erilis filii causa [1]). Quamquam Menander in moribus servi callidi describendis et in artificiis scaenicis artem et antiquae comoediae et tragoediae Euripideae secutus est, tamen partes eius ipsae novae sunt. Haec servi persona iam in Perinthia fuerat, sed posterioribus aliquot in fabulis Menander his in partibus artificiis scurrilibus illis vulgaribus et obsoletis usus non est. Neque tamen servi callidi persona ipsa tam iocularis est, ut poeta haec artificia plane omittere possit. Itaque Menander in Perinthia servum cacantem, in Adelphis servum ebrium non repudiavit et in Bacchidibus exitum fecit tantopere scurrilem, specimen artis suae elegantis simul et lascivae. Neque vero in scaena hac lasciva servus callidus agit, sed meretrices duae senes alliciunt et efficiunt, ut illi filiis ignoscere debeant et res ad bonum finem perducantur. Itaque in Bacchidibus quoque meretrix quodammodo est aemula servi, si partes spectamus et argumentum fabulae, sed alio modo atque in Epitrepontibus et persona servi callidi, quamquam partes eius perfecta arte factae sunt, tamen neque ita scurrilis est, ut Menander alia artificia non requisiverit, neque ita efficax, ut opera eius solius fabula ad exitum duci possit.

1) cf. Dietze, l. s. s. p. 46.

§ 4.

Denique, quantum hoc fieri potest, quaerendum nobis est, num Menander servorum in partibus et moribus dissenserit a reliquis poetis comicis illius temporis. Quamquam omnes novae comoediae fabulae non nimis diversae sunt, tamen singulos poetas nonnunquam abhorrere constat a reliquis aut minus aut magis velut poetam illum posteriorem, qui comoediam scripsit, quam Plautus in Captivis imitatus est et de qua in prologo dictum est (54 sqq.):

'Profécto expediet fábulae huic operám dare:
Non pértractate fáctast neque item ut céterae,
Neque spúrcidici insunt vérsus immemorábiles:
Hic néque periurus lénost nec meretríx mala
Neque míles gloriósus.'

Personae et mores huius fabulae admodum abhorrent a Menandro. Non aliter res se habet in Hecyra, de qua dicit Donatus (II 190, 11): 'In tota comoedia hoc agitur, ut res novae fiant nec tamen abhorreant a consuetudine: inducuntur enim benivolae socrus, verecunda nurus, lenissimus in uxorem maritus et item deditus matri suae, meretrix bona.' Apud Terentium legimus Heautontimorumeni in prologo (35 sqq.):

'Adéste aequo animo, dáte potestatém mihi
Statáriam agere ut líceat per siléntium,
Ne sémper servos cúrrens, iratús senex,
Edáx parasitus, sýcophanta autem ínpudens,
Avárus leno adsídue agendi sínt mihi
Clamóre summo, cúm labore máxumo.'

Iam Aristophanes servorum in partibus ab aequalibus se abhorrere confirmaverat. — Itaque Menandrum quoque, principem novae comoediae, a reliquis poetis in partibus nonnumquam abhorruisse verisimile est, quod, cum Menandri, si magnum comoediarum numerum respicis, perpaucae scaenae nobis redditae sint neque multae fabulae Romanae ad exempla Menandrea revocari possint, nisi magna cum cautione nobis explicandum non est. Hoc duobus exemplis volo demonstretur. Denisius[1]) Menandrum non illusisse putaverat nominibus ipsis proditis

---

1) l. s. s. II 412.

cives Athenienses, quod fecerat Aristophanes et quod fecerunt alii novae comoediae poetae, Philemon et Diphilus et multi poetae mediocres. At scaenis integris Menandri repertis rem aliter se habere intelleximus: nam in Samia (258 sq.), comoedia antiquiore, Demeas Chaerephontem, parasitum spectatoribus omnibus notum, quod in fabulis posterioribus et elegantioribus non invenimus, nomine ipso addito illudit. Personam protaticam apud Menandrum non exstitisse olim concluserat Leo, quod novis fragmentis repertis ipse in dubium vocavit[1]), cum Geta Herois persona protatica esse videatur.

Duplici modo Menander a reliquis poetis abhorrere poterat, nam aut artificia eorum usitata ipse repudiare aut personas servorum novas, inusitatas in scaenam producere poterat. Ex novis fragmentis Menandrum artificia scurrilia, quae apud alios novae comoediae poetas inveniuntur, ipsum quoque in fabulas antiquiores inseruisse apparet. Sed in rebus scurrilibus Menander semper erat poeta elegans et ineptias omisit. Qua re quin aliis superior fuerit, minime dubito, etiamsi hoc probari difficile est. Sed duo afferantur exemplo fragmenta. Philemonis Moech. in fr. 44 (K II 489) legimus:

ἔδει παρεῖναι, Παρμένων, αὐλητρίδ' ἢ
νάβλαν τιν'. (Π.) ὁ δὲ νάβλας τί ἐστιν;
(Α.) . . . οὐκ οἶδας, ἐμβρόντητε, σύ;
(Π.) μὰ Δία. (Α.) τί φῄς; οὐκ οἶσθα νάβλαν; οὐδὲν οὖν
οἶσθ' ἀγαθόν. οὐδὲ σαμβυκίστριαν;

Similes ineptiae Diphili insunt in fragmento Tithraustae (80, K II 568). Quamquam persona eius, qui loquitur, incerta est, tamen verba ad servos dicta esse constat:

πρίστις, τραγέλαφος, βατιάκη, λαβρώνιος.
(Β.) ἀνδραπόδι' ἤδη ταῦθ', ὁρᾷς; (Α.) ἥκιστά γε,
ἐκπωμάτων δ' ὀνόματα. (Β.) πρὸς τῆς Ἑστίας;
(Α.) ὁ λαβρώνιος χρυσῶν δέ, παῖδες, εἴκοσιν.

Diphili stilum mixtum fuisse notum est et iam supra ex partibus ad aram confugientium intelleximus. Sed hac quoque in re Menandrum cum aemulo in fabulis antiquioribus (Samia) et etiam postea (Periciromena) nonnumquam consentire intelleximus.

---

1) Pl F² p. 243 et adn. 3.

Praeterea agendum nobis est de servis fallacibus, qui usque ad Galeni tempora a scriptoribus, qui de comoedia Menandrea loquuntur, inter personas eius primarias commemorantur. Sed servi callidi partes etiam in aliis comoediis inveniuntur, in Milite glorioso, Pseudolo, Mostellaria, Epidico, neque apud Menandrum ipsum servus callidus erat e numero servorum persona usitatissima, neque enim in eis fabulis, quas ex novis fragmentis melius cognovimus, partes eius sunt. Itaque servus callidus persona erat clara, cum arte praestantissima facta, fortasse a Menandro primo in scaenam producta. Menander aliquot in fabulis, imprimis in fabulis posterioribus, a servi callidi partibus artificia removit nimis scurrilia, velut in Andria: qua in fabula fugam servi ad aram, quae in Perinthia scaena fuerat iocularis, in Heautontimorumeno commemorabatur, omnino omisit. In Bacchidibus servi callidi partes auxit et res scurriles aliis in scaenis fabulae addidit. Hac ex re iam supra Menandri magnam artem intelleximus et figuram servi singularem eum describere voluisse conclusimus. In fabulis autem, quas ad exempla Menandrea revocare non possumus, in Mostellaria et in Pseudolo, cum servi callidi partibus coniuncta sunt artificia scurrilia eadem atque Menandri in Perinthia et Adelphis: nam Tranio ad aram confugit sicut Davus Perinthiae, etsi scaena non ita scurrilis est ut scaena Perinthiae, et Pseudolus, sicut Syrus Adelphorum ebrius a potatione venit ructans et evomens, quae scaena multo scurrilior est quam scaena Adelphorum. In Epidico autem et Milite poetae alia ratione fabulam hilariorem facere studuerunt et argumentum et partes servi auxerunt sicut Menander in Bacchidibus: quo factum est, ut Miles haud minus quam Bacchides pro fabula contaminata habita sit, quam coniecturam nuperrime repudiaverunt et, ni fallor, refutaverunt Schweringius[1]) et Koehlerus[2]). Nunc autem, cum de servis callidis egerimus, his partibus ipsis effici intelleximus, ut a poeta, qui fabulam compluribus dolis efficaciorem reddere studet, argumentum auctum sit. Haud aliter atque Menander in Bacchidibus Militis auctor in exitu fecit scaenam valde scurrilem, in qua coniurati in Pyrgopolinicem, quem moechum esse et cui

1) l. s. s. p. 178 sq. 2) Brixii in ed. Mil., Lips. 1916⁴, praef. p. 10 sqq.

se virilitatem adempturos esse fingunt, impetum faciunt. Fieri non potest, ut haec omnia casu secum congruant et tam similia sint. Quamquam nobis notum non est, neque quibus temporibus Epidici, Militis, Mostellariae, Pseudoli exemplaria Graeca facta sint, neque quibus a poetis, etsi Mostellaria ad Φάσμα Philemonis revocanda esse videtur, tamen reliquos poetas servi callidi in partibus Menandrum et Menandri artem elegantem et lepidam secutos esse demonstrari posse puto. Schweringius[1]) Militem aut eo tempore factam esse aut ad artem eius temporis, quo poetae a media ad novam comoediam processerunt, revocandam esse putavit propter compositionem ipsam, quam nos partibus servi callidi explicari posse diximus. At Koehlerus Militem scriptam esse existimat a poeta, qui Menandrum imitatus est[2]). Etenim servus callidus iam invenitur in una ex fabulis Menandri antiquioribus et ab eo saepius in scaenam productus est, in quinque saltem aut sex fabulis: quae figura servi callidi a Menandro exculta est. Neque vero reliquorum novae comoediae poetarum quemquam servi callidi partes in fabula posteriore alia ratione et maiore cum arte descripsisse notum est. Itaque hanc personam Menandri propriam fuisse et reliquos novae comoediae poetas his in partibus Menandrum secutos esse pro certo habeo. — Poetae autem posteriores velut Apollodorus novas personas invenire debebant et ea de causa scripserunt, ut hoc exemplum afferam, partes parasiti callidi, quae sunt in Phormione Terentiana et in Curculione Plautina.

Quaerendum nobis est, num Menander partibus et moribus descriptis servorum novis et inusitatis praeter ceteros floruerit. Quos si apud Menandrum invenimus, reliquis in fabulis non expressos sed ab arte Menandri satis diversos, eum, quod eadem de causa de Apollodoro Donatus confirmavit, personis et moribus novis studuisse verisimile est. Talia apud Menandrum re vera saepius exstant. Hoc loco servi primae Epitrepontum scaenae commemorandi sunt. Hac in scaena, quam veteres grammatici et oratores magni aestimaverunt, partes servorum sunt singulares. Quoniam iam supra artem admirati sumus perfectam, qua Menander mores servorum descripsit, quaeramus

1) l. s. s. p. 183. 2) l. s. s. p. 19, cf. Fr. Hueffner, l. s. s. p. 28 sq., Leo, Pl. F.[2] p. 115 adn. 3.

nunc, quid hac in descriptione novum sit. Syriscus, alter servus, ruri vivit et laborat atque domino tributum, quod solvendum est, in urbem fert. Sed servus ille agrestis tam disertus est et eloquens, ut Davo superior fiat. Hac ipsa re Menander abhorret a moribus comoediae usitatis. Quantopere differt Syriscus a Truculento et a Grumione, servo Mostellariae, qui agrestis est et rudis et inscitus atque ea de causa multo inferior Tranione, servo callido et fallaci! Davus ipse eloquentia Syrisci perterritus est (cf. 19). Hoc loco afferenda sunt verba Alciphronis (II 26): Ἠπιστάμην σε, ὦ Ἀνθοφορίων, ἁπλοϊκὸν εἶναι ἄνθρωπον καὶ αὐτόχρημα τὸν ἀπὸ τῆς ἀγροικίας ἄγροικον, ὄζοντα στεμφύλων καὶ κόνιν πνέοντα, ἠγνόουν δὲ ὅτι δεινὸς εἶ ῥήτωρ ὑπὲρ τοὺς ἐν Ἡλιαίᾳ τῶν ἀλλοτρίων ἕνεκα δικομαχοῦντας. Ex quibus optime apparet rarum fuisse hominem agrestem simul et disertum. Qua re Menander a morum descriptione communi abhorret.

Apud adversarium quoque Syrisci invenimus indolem et inusitatem et singularem. Cum reliqui Davi comoediarum astutos sese praebeant et sollertes, non modo in dolis struendis sed etiam in periculis et discrimine rerum, hic servus sollers est et astutus, donec tutum se esse et superiorem discessurum neque Syriscum periculosum sibi fore putat. Sed cum illum adversarium esse animadverterit minime contemnendum, et crepundia sibi abiudicata sint, miratur et indignatur et verbis isdem identidem dictis se obstupefactum esse et perterritum demonstrat neque animo utitur praesenti, qua re risum spectantium movet. Hic autem Davus obstupefactus atque auxilii inops, qui multum differt a Davis comicis, servus est sui generis et singularis.

Etiam rarior est natura servi, qualis est Davus Herois. Amore casto conservae captus est et mitem et magnanimum eum esse animadvertimus, quibus moribus quam maxime a ceteris servis abhorret. Comparandus est et cum servis Stichi, illis quoque amatoribus, ut intellegamus, quantopere ab iis dissentiat, et cum Tyndaro Captivorum, qui magnanimus est et omnibus rebus suis salutem domini praefert. At hac ex comparatione ipsa Davum personam esse singularem optime cognoscere possumus, quod Tyndarus non servus est sed adulescens liber in servitutem redactus. Cum Davo autem Herois con-

sentiunt, qui et ipsi quoque propter 'miram fidem' (cf. Donati verba ad v. 361, II 70, 19 sqq.) servorum personae erant inusitatae, Parmeno Plocii et Geta Adelphorum.

Itaque ex quaestione nostra Menandrum, quod artificia obsoleta et personas communes posterioribus in fabulis, quantum fieri poterat, repudiavit et servorum scripsit partes novas et singulares, maxima cum arte et maxima cum elegantia factas, in moribus describendis praeter ceteros novae comoediae poetas floruisse videmus.

Conclusio.

Quos auctores Menander in partibus servorum secutus sit, ex quaestione nostra satis intelleximus. Saepe Menander cum Aristophane consentit, saepius fortasse, quam suspicandum erat, maxime in fabulis prioribus, sed etiam in fabulis posterioribus. Multo minus Euripidem secutus est servorum in partibus et moribus, etsi servi fideles imprimis cum servis et familiaribus Euripideis comparandi sunt. Sed etiam fides servorum magis argumento fabularum ipso efficitur quam imitatione. Saepius autem poetae tragici artem secutus est in scaenis et rebus singulis. Hoc dicendum est de servis neque de comoedia Menandrea ipsa, nam fieri sane potest, ut iis, qui aliis de personis quaesiverint, aliter iudicandum sit. — Artem Menandri in moribus describendis melius cognovimus et Menandrum homines sui generis, sed minime personas communes et usitatas, quarum mores iisdem in partibus semper iidem sunt, in scaenam produxisse intelleximus. — Personas et servos sermone quoque notavit, neque modo sermo servorum a sermone aliarum personarum differt, sed etiam servos singulos sermone inter se distinxit. Quod, antequam scaenae integrae repertae sunt, notum non erat neque ex iudiciis antiquorum criticorum intellegi poterat, nam Plutarchus dicit haud accurate (Aristoph. et Men. compar. p. 853 F, V p. 205 B.): ἀλλὰ Μένανδρος οὕτως ἔμιξε τὴν λέξιν, ὥστε πάσῃ καὶ φύσει

καὶ διαθέσει καὶ ἡλικίᾳ σύμμετρον εἶναι, καὶ ταῦτα νέος μὲν ἔτι τοῦ πράγματος ἁψάμενος, ἐν ἀκμῇ δὲ τοῦ ποιεῖν καὶ διδάσκειν τελευτήσας, ὅτε μάλιστα καὶ πλείστην ἐπίδοσιν, ὡς Ἀριστοτέλης φησί, λαμβάνει τὰ περὶ τὴν λέξιν τοῖς γράφουσιν. — Poeta in arte magis magisque processit. Neque vero Menander res et personas scurriles postea repudiavit sed iis alia in fabula aliter usus est argumento ipso et ceteris personis respectis, qua ex re iudicium elegans et intellegentiam eius egregiam intelleximus.

Apud Aristophanem servus scurra erat aliorum scurrarum in numero, sed apud Menandrum et novae comoediae poetas res scurriles solis inveniuntur servorum et personarum humilium in partibus atque etiam his in partibus procedente tempore rariores sunt. Qua ex re optime intellegi potest, quantum Menander ab Aristophane et ab antiqua comoedia differat. Apud poetas comicos posteriorum temporum ars, elegantia, lepos aucta sunt, sed vis comica et hilaritas ludi Bacchici multo factae sunt minores.

Argumentum.

Vita.

Natus sum Carolus Rudolfus Langer Bonnae pridie nonas Maias a. 1893, Paulo patre, quem tribus annis ante mortem obisse gravissime doleo, matre Eugenia e gente Kray, quam matrem optimam adhuc vivam pio gratoque animo veneror. Fidem profiteor catholicam. Litterarum elementis imbutus Coloniae, quo se contulerant parentes mei, gymnasium apostolorum ad aedem sacram situm per novem annos frequentavi. Vere a. 1913 maturitatis testimonio instructus et numero civium almae matris Bonnensis adscriptus studiis philologicis operam navavi per octo semestria. Docuerunt me viri doctissimi: Brinkmann, Clemen, Curtius, Dyroff, Elter, Enders, Gaufinez, Koch, Litt, Marx, Menzerath, Meyer-Lübke, Ohmann †, Reinhardt, Schneider, Thurneysen, Verweyen, Wilcken, Winter. — Proseminarii philologici sodalis fui per tria semestria Eltero et Marxio praesidentibus. Deinde ad seminarium ordinarium aditum mihi aperuerunt benigne Brinkmann, Elter, Marx, quibus moderantibus sodalis fui per tria semestria, unum per semestre munere functus senioris. Praeceptoribus meis gratiam habeo quam maximam omnibus, imprimis autem Marxio, qui semper benignissimum erga me se praebuit et ad hanc dissertationem conscribendam me commovit et in opere perficiendo consilia mihi dedit utilissima, et Brinkmanno, qui et studiis meis semper favit et in rebus omnibus opera consilioque me adiuvit animo benevolentissimo. Vere a. 1917 almam matrem Bonnensem reliqui et Linziam me contuli, cuius in gymnasio usque ad mensem Dezembrem a. 1918 docui. Ante diem III. et pridie non. Iul. a. 1918 examen absolvi pro facultate docendi. Kal. Oct. eiusdem anni in seminarium receptus sum gymnasii, cuius discipulus olim fui et cui praeest Schwering, qui puerum primordia me docuit artium mathematicarum et semper praeceptor fuit optimus. Examen rigorosum est habitum a. d. IX kal. Iul. a. 1919.